IO. HENRICI SCHVLZE D.
MEDICINAE ELOQVENTIAE ET ANTIQVITATVM IN REGIA FRIDERICIANA ACADEMIA PROFESSORIS ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM ET PETRIPOLITANAE VT ET REGIAE SCIENTIARVM SOCIETATIS BEROLINENSIS SODALIS

DISSERTATIONVM ACADEMICARVM

AD
MEDICINAM EIVSQVE HISTORIAM PERTINENTIVM
FASCICVLVS PRIMVS
QVO CONTINENTVR

I. De athletis veterum, eorum diæta & habitu.
II. De elleboriſmis veterum.
III. De elaterio, quod ad magnos mortalium vſus paretur.
IIII. Mors in olla, ſeu de metallico contagio in ciborum, potuum & medicamentorum præparatione ac aſſervatione cauendo.



HALAE MAGDEBVRGICAE.
impenſis CAROL. HERMANN. HEMMERDE.
1743.

2120

47370/P

PRAEFATIO
AD
BENEVOLVM LECTOREM.

Cur diſſertationes primis annis, quibus in publicum prodire cœpi, exaratas in faſciculum hunc collegerim, non aliam rationem habui, quam quod patroni & amici quidam ſæpius vnam vel al-

teram a me efflagitauerunt, quibus non ſine pudore aliquo me excuſaui, ſpemque feci nauandæ induſtriæ, vt vndiquaque conquiſitas ad ipſos amandarem. Enimuero defuit tandem in inueniendis exemplis, quæ mitterem, omnis ſucceſſus, vt cogitandum mihi de hac ratione, quam nuper inii, omnino viderem. Quam cum animo agitare me cognouiſſet bibliopola, ſuamque operam obtuliſſet: noua mihi exoriebatur deliberatio, eſſentne, quales primum emiſeram, recudendæ, an noua cura expoliendæ. Illud quidem ſuadebant occupationes abunde multæ, quibus me addixeram; hoc autem iniungebat pudor, qui vetabat animaduerſas a me ipſo aberrationes propagare, aut minus ſufficienter declarata vel comprobata, quum pridem illa notaſſem & margini adieciſſem, omittere. Cœpi igitur vtrumque inſtitutum peragere, recenſere pridem ſcripta, caſtigare eadem, & ſi quid vel illuſtrandum vel ſupplendum videretur, pro ea copia temporis, quæ mihi ſuppetebat, in

or-

ordinem redigere. Atque vtinam licuiſſet tanto affluere otio, vt ſatis expolire omnia & exornare potuiſſem. Accidit autem, vt iam ingreſſum hoc iter mox pœnitere deberet laboris alieno tempore ſuſcepti: quum pluribus negotiis ſubinde auocato minus vacare expoliendis illis & accurate recognoſcendis liceret. Malui tamen tarde progrediendo parum promouere, quam feſtinando deterere omnia. Potius itaque duxi, ſi pauculas hoc faſciculo traderem diſſertationes mediocriter exterſas, quam ſi plures extruderem omni cultu deſtitutas.

Vt autem paucis, quid præſtitum noua hac editione fuerit, indicem, videtur ab illis requiri poſſe, qui ante hos viginti, & quod in aliquibus ample excurrit, annos editas has commentatiunculas euoluerunt. Illa igitur, quæ temporis ratione prima fuit, *de athletis veterum, eorumque diæta & habitu*, pauciſſimis locis mutata prodit, bene autem multis locupletata & illuſtrata. Non enim ſolum tota pars poſtrema, de habitu athletico, nunc acceſſit,

verum etiam pridem ſcriptis multa inſerta ſunt: plurima autem notis ſubiectis, ad illuſtrationem vberiorem argumenti huius, commiſi. Nam quum illo tempore, quo primum ad ſcribendum accedebam, præter MERCVRIALEM & IOVBERTVM atque FABRVM nullos haberem duces; deinde autem nactus eſſem plures, quos ſuis locis ingenue laudatos videbis: horum opera non vti voluiſſe, ignaui ac ſuperciliosi hominis fuiſſet. Ita autem verſandum in hoc labore fuit, vt ea, quæ medicos minus iuuare videbantur, parcius adferrem: præſertim quum nondum pœniteat conſilii, quod ante hos quinque annos cepi, illa, quæ medicinam non tangunt, athletica ſeorſim excutiendi: cuius ſpecimen exſtant *obſeruationes ad rem athleticam* pertinentes, quas in cathedra philoſophorum diſcutiendas exhibui.

Quæ ſequitur diſſertatio *de elleboriſmis veterum* plurimum mutata fuit. Nam & non pauca mihi corrigenda viſa ſunt, & quam plurima

ha-

habui, quæ locis commodis interſererem: prorſus vt fere noua dici poſſit.

Excipit illam, quæ ſine meo nomine prodierat, commentatiuncula *de elaterio, quod ad magnos mortalium vſus paretur.* In hac paucula videbis mutata, ſed illuſtrationis ac confirmationis cauſa adiecta aliqua, quæ non ſuperuacua forte exiſtimabis.

Poſtremam autem illam, quæ *mors in olla* inſcribitur, fere integram reliqui, qualem editione repetita A. ciɔ Iɔ cc xxviii. emiſeram; ſuſtuli modo errores, quos animaduerti, & vnico loco adnotatiunculam adieci.

Volebam vtique plures huic faſciculo includere: ſed propoſito meo interceſſerunt plura impedimenta, quam ſuperare & remouere licebat. Si me his explicare potero, propediem ad alterum faſciculum etiam nectendum accedam; quod tanto vtique promtius faciam, ſi intellexero, ſtudium meum vtilibus medicinæ doctrinis amœnitates quaſdam hiſtoricas & philologicas intermiſcendi, non omnino diſplicere viris æquo iu-

dicio

dicio valentibus & ab elegantioribus litteris non omnino alienis. Nam illos, qui malignius garriunt, non poſſe fieri, quin medicinæ ſtudiis decedat, quicquid euoluendis antiquis monumentis impenditur, parum vtique moror. Sunt pleraque, quæ munera mineruæ adfero, fructus diligentiæ primis annis his amœnitatibus impenſæ. Neque tamen nego, me ſubinde, nec ſine magna iucunditate, ad eadem ſtudia reuerti, & his animum reficere: in quo facio, quod muneris mei rationes a me poſtulant, quum præter medicinam elegantiorum litterarum & antiquæ doctrinæ ſtudiis propagandis deſtinatus ſim.

Sed abrumpo hoc filum, ne, dum pro me dico, alios tangere & laceſſere videar; quod a meis ſtudiis remotiſſimum ſemper cupio. TVAE æquitati & beneuolentiæ hoc, quantulumcunque eſt, ſtudio noſtro politum & renouatum opuſculum permittimus. Vale. Scribebam Halæ Magdeburgicæ die IV. Octobris cIↃ IↃ CCXXXXII.

DIS-

DISSERTATIO I.

DE

ATHLETIS VETERVM

EORVMQVE DIAETA ET HABITV.

HABITA cIↄ Iↄcc XVII.

PROOEMIVM.

COgitanti mihi, quid ex latiſſime patente rerum naturalium & medicarum ſuppellectile inprimis expoliendum elaborandumque eligerem, quo & ipſe inquirendo mihi prodeſſem & lectori meo aliquem vtilitatis aut honeſtæ delectationis fructum adferrem: viſum fuit ea potiſſimum excutere & in ordinem aliquem redigere, quæ, in optimorum ſcriptorum monumentis diſperſa, paſſim notaueram de gymnaſtica antiquorum vita, diæta & corporum athleticorum ſingulari habitu. Quum enim ſtudii qualiscunque noſtri, quod in bonis litteris, inde ab aliquot annis, poſuimus,

mus, id quaſi fatum fuerit, vt potius per longos errores &, vt ſpero, non poenitendos, quam rectiſſima via, ad illum portum pertigerimus, quem nunc inuehi videmur: pridemque conceptum ſalutaris artis deſiderium ab aliis oblatis laboribus aliquas moras perpeſſum ſit: factum eſt, vt id maxime verum eſſe ſentirem, quod prudentes viri grauiter aſſerunt, omnium eruditionis partium eſſe amicum aliquem nexum, & vinculis cohærere indiuulſis, adeo vt lucem ſibi inuicem foenerentur clariſſimam; nullam autem perfecte aliquis inſpicere & familiariter cognoſcere poſſit, ſi reliquarum auxilio prorſus deſtituatur. Quare mihi infelices omnino ii videntur, qui, cum ſumma conſequi poſſent, modo præcipitanter ſe gerere nollent; impatienti deſiderio vnam ſibi, ex litterarum longe patenti campo, percurrendam deſtinant particulam, pro ſuo quiſque iudicio aut amicorum ſuaſu, eamque, intactis reliquis aut contemtis, ita excolere ſatagunt, vt panem quantocyus, & quam maximo fieri poteſt prouentu, lucrentur. Non iam animus eſt per ſingula nunc ire rationum momenta, quibus diſſuadere infauſtam hanc feſtinationem posſim, aut remouere ea, quæ ab illis obiici poſſent, qui contrarium ſerio ſtatuunt: id tantum dicam, adeo non obeſſe medico, quo minus omnibus ſui muneris & nominis reſpondeat partibus, ſi in aliis rebus, quæ ad medicinam directe non facere videntur, aliquot annos impendat; vt potius aptior reddi ſic poſſit ad reliqua, arti ſuæ domeſtica & propria, melius percipienda, digerenda, diſponenda, &, ſi occaſio ita poſtulet, cum aliis etiam communicanda. Talia aſſerens fidem facillime, credo, inueniam, ſi ex illis, qui immortalem ſui memoriam apud omnes reliquerunt, ſummis medicis, aliquos producam, quos non minus medendi ſcientia poſteritati Machaoniæ admirabiles facit, quam reliquæ eruditionis incomparabilis elegantia apud omnes commendat. Vt enim viuorum modeſtiæ parcam, quis IOANNIS CRATONIS eximium nomen neſcit & peruulgatam apud omnes gloriam? Qui felicitate tanta medicinam fecit, vt trium auguſtiſſimorum imperatorum medicus eſſe meruerit. Huic tanto viro non obfuit improbus labor, quem in theologiam & philoſophiam, & illa ſtudia, quæ humaniora vocare ſolemus, optimis vſus præceptoribus, per plures annos impendit: nec dubium eſt, quin potuiſſet plura in vſum diſcentium ſcribere, ſi per negotia licuiſſet foetus ſuos ipſi exponere & luci publicæ ſiſtere. Quid de OLAO BORRICHIO dicam, incomparabili viro, & in multis ſcientiis

entiis verſatiſſimo, medico autem inter præſtantiſſimos numerando? Aut quid de HERMANNO CONRINGIO, Germaniæ noſtræ fulgentiſſimo ſidere, quem theologi ſuum eſſe dicunt, iuriſconſulti & politici ſuum vindicant, philoſophi repetunt, medici habent retinentque. Iuſtum autem opus mihi enaſceretur, non terminis anguſtiſſimis circumſcripta præfatio, ſi ZWINGEROS, GESNEROS, PATINOS, SPONIOS, BARTHOLINOS, MERCVRIALES, HOFFMANNOS, CONSTANTINOS, FOESIOS, LANGIOS, FRACASTORIOS, DIETERICOS, REINESIOS, WELSCHIOS, MEIBOMIOS, PECHLINOS, WEDELIOS, BERGEROS, ceteros, enarrare vellem: quare hoc quidem labore ſuperſedeo, & ad id redeo, vnde digreſſus & cuius gratia hæc præfatus ſum. Vnicum modo, ante quam hunc ſermonem abrumpam, dicere liceat, ita me intelligere optandam & laudandam rem eſſe, ſi quis omnium aut plerarumque diſciplinarum ambitu perluſtrato ad certam aliquam ſe demum conferat, quam ſolam integro deinceps ſtudio colat & perdiſcat, nimirum ſi ætas & occaſio opportunitatem ſuppeditauerint. Nam cui hæc minus fauent, quis illi vitio vertat, ſi vni rei totum ſe, quantus eſt, ſtatim tradat, aut ex reliquis ea tantum ſeligat, quæ huic prouinciæ, quam ſuſcepit, tuendæ ornandæque proxime inſeruiunt. Mihi autem propoſitum nunc eſt, pro virium ingeniique modulo, & pro ea copia librorum & temporis, quæ elaborationi tam nobilis argumenti ſuppetit, illa in medium proferre, quæ ad priſcæ medicinæ antiſtites Hippocratem, Celſum, Galenum aliosque poſteriores illuſtrandos idonea, apud philoſophos, poetas, hiſtoricos, & ſi qui alii ſunt, ſeſe mihi obtulerunt: eaque ſic inter ſe conferre & coniungere, vt quilibet intelligat, quid illud ſit, quod athleticum & gymnaſticum veteres dixerunt, quid boni ſubſit, quidue vitioſi ſecum ferat, quid denique bonarum conſiderationum in phyſicam & medicam doctrinam inde redundet. Laborarunt iam in hoc argumento ſingulari opera illuſtrando duo clariſſimi viri, alter medicus HIERONYMVS MERCVRIALIS, gente Italus, qui de arte gymnaſtica ſex pulcherrimos libros nobis reliquit: alter autem Gallus, profeſſione ICtus, PETRVS FABER, qui agoniſticorum tribus libris ea vlterius proſequitur, quæ prior non penitus excuſſerat. Exſtat etiam LAVRENTII IOVBERTI, itidem Galli & inter medicos non infimi, *de gymnaſiis & generibus exercitationum apud antiquos celebrium* breuior quidem liber & non contemnendus, quamuis vltima

ma lima ipſi defuit: ſed cum duobus, quos commemorauimus, & inter quos ordine temporis medius eſt, haud comparandus. a) Et hunc cum noſtris, tum iam maximam partem elaboratis, quum eius copia fieret, diligenter contulimus. Enimuero prius laudatorum duumuirorum is videtur in ſcribendo finis fuiſſe, vt, quicquid vllo modo ad veterum certamina, exercitia, ludoſue ſpectaret, oculis lectorum ſubiicerent: b) quum nobis nihil aliud curæ futurum ſit, quam ſi quid ad ipſum habitum athleticorum corporum præfigurandum facere viſum fuerit, aut ad illud viuendi genus pertinere, quo ſe iuuari poſſe ad habitum illum acquirendum veteres exiſtimabant. Hiſtoriam totius inſtituti, latiſſime omnino patentem, non niſi pauciſſimis & ſtrictim conſignatam, præmiſimus, quia ad reliquorum intelligentiam neceſſaria videbatur. Faxit autem ſummum, quod veneror, numen, vt ſalutarem & optatum finem, ad quem hoc labore ſuſcepto tendimus, pleniſſime conſequamur.

a) Qui ampliſſime excutere omne hoc argumentum deſiderat, non ſine fructu porro adhibebit IVL. POLLVCEM *libr. III. cap. XXX.* deinde inſcriptiones varias in corpore Grveteriano exhibitas; ſeorſim autem OCTAVIVM FALCONERIVM in *notis ad inſcriptiones athleticas.* Exſtant illæ in *theſauro antiquitatum Græcarum* Gronouiano *Tom VIII* Nec negligere debebit medici doctiſſimi ANTONII VAN DALE diſſertationum antiquitatibus marmoribusque illuſtrandis inſeruientium ſeptimam, quæ *de agonothetis, panegyriarchis,* & octauam, quæ *de gymnaſiarchis.* Laudem etiam merentur eruditæ diſſertationes PETRI IOANNIS BVRETTE, medici Pariſienſis, quibus omnem hiſtoriam rei athleticæ illuſtrauit. Inſertæ ſunt commentariis Academiæ Regiæ, quæ ab inſcriptionibus & elegantioribus litteris nomen accepit. Vide *Memoires de litterature de l' Academie des Inſcriptions & belles lettres Tom. II. pag.* 270-371. Atque eiuſdem docti viri aliæ etiam diſſertationes huc pertinentes in iiſdem commentariis occurrunt. Quantum lucis ſacri ſcriptores ex rei athleticæ notitia paſſim accipiant, ſingulari ſyntagmate, quod *agoniſtica ſacra* vocauit, oſtendit theologus Belga, IACOBVS LYDIVS, cui opuſculo aliqua addidit IO. LOMEIERVS in editione 1700. repetita. Nec parum accedit lucis ex numiſmatibus veteribus, in qua parte facem clariſſimam præfert perilluſtris EZECHIEL SPANHEMIVS, cum alibi in pereruditis ſcriptis, tum maxime in elegantiſſimis diſſertationibus, quæ ad calcem *Gothæ numariae* CL. LIEBE ſubiunctæ leguntur.

b)

b) Non diſſimulandum videtur, quod MERCVRIALIS, vt & IOVBERTVS, nimis multa turbent, dum accepta a medicinæ gymnaſticæ auctoribus toti inſtituto gymnaſtico ſeu athletico ſecure aliquando tribuunt. PETRVS autem FABER, quum omnia inſtituta agoniſtica, vt muſica, theatralia, cetera, tractare vellet, effecit vt ſæpe lector neſciat, quorſum ſine ordine & diſtinctione accurata dicta referre debeat, facileque confundatur.

§. I.

EXercitationum varia genera antiquiſſimæ conſuetudinis & cum ipſis hominibus nata pariter eſſe & educata: plurima ſunt, quæ facillime perſuadent. Quum enim in toto hoc genere voluptas, æmulatio, odium & conſeruandæ ſanitatis deſiderium, tamquam cauſæ illarum & origo, pro cuiuscunque ingenio, ſpectari debeant: hæc quouis tempore omnibus adfuiſſe, quilibet facile intelliget. Nec hiſtoriarum fides nos deſtitueret, ſi illud quidem demonſtrare nunc vellemus, & non potius ad illum ſermonem: quem de habitu & diæta athletarum animo concepimus, in medium nunc proferendum ita feſtinaremus, vt breuiſſimis verbis de athleticorum hominum, ipſiusque eorum, tantopere olim celebratæ, artis origine, conditione ac fatis aliqua præmittenda exiſtimaremus, quæ rudem potius deſignationem facti ſiſtant, quam accuratam & omnibus numeris abſolutam enarrationem.

§. II.

Quemadmodum vero omnium artium id quaſi fatum fuit, vt res ipſæ ſint artibus longe antiquiores, nihilque ſimul inueniatur & ad perfectionem perueniat illam, vt artis mereatur nomen: ita cum omnium exercitationum generibus idem accidit. Hermetem vero Aegyptium primum fuiſſe, qui in artis formam ea deduceret, grauium ſcriptorum a) fide & teſtimonio confirmamur. Ab Aegyptiis igitur, quibus Græci tantum non omnia debent, quæ in ipſorum monumentis admiramur, b) in Græciam peruenit illud ſtudium corporis ad robur & vires exercendi & indurandi, primique, qui illud ſuſciperent, Spartani videntur fuiſſe, quorum plurimæ leges & inſtituta ab Lycurgo tradita, debentur Aegyptiis, quod vno ferme

ore veteres c) nobis declarant. In hac autem vrbe præ reliquis viguiſſe exercitationes, notius eſt, quam vt probatione egeat.

a) DIODOR. SICVL. *bibliotb. lib. I. palæſtræ inuentor (Hermes) numeroſæ concinnitatis, & corporis decore effingendi ſtudioſus artifex.* conf. CL. FABRICIVM *bibliothec. Græc. Lib. I. pag.* 84. Sed merito dubites, an Aegyptii, æque ac Græci, athletico inſtituto tantopere fuerint dediti, vt quotidiana illa habuerint, ac habitui athletico comparando multum tribuerint. Contrarium teſtatur ipſe ille DIODORVS *lib. I. pag.* 73. *nam e quotidianis palæſtræ exercitiis non ſanitatem, ſed exigui temporis robur & omnino periculoſum iunioribus comparari exiſtimant.* Sed in pluribus id accidit, vt vſum rei ab aliqua natione acceptæ aliæ nationes in abuſum vertant: vt inter nos quotidie obſeruamus, ſi modo attendamus, quantum in potu Coffe diſcedamus ab Arabum & Turcorum more. Atque vt propiori ad rem noſtram exemplo vtar, vix dubium eſt, quin Græci ab Aegyptiis didicerint morem valetudinis cauſa ſæpe vomendi. Sed hi, teſte HERODOTO *lib. II. cap.* 77. *ſingulis menſibus triduo purgabant ſe, vomendo atque inteſtina eluendo, gratia ſanitatis conſeruandæ, rati, omnes languores hominibus creari ex cibis, quibus aluntur.* At vero Græci, & ipſos imitati Romani, voracitatem hac arte ſibi molientes, id prorſus quotidianum habebant; certe illi, qui nobilitatem ſuam decere gymnaſticos mores exiſtimabant.

b) Quod OLAVS BORRICHIVS euincere ſtudet ſingularis de *Hermetis, Aegyptiorum & chemicorum ſapientia* libri capite octauo.

c) vide PLVTARCHVM *in Lycurgo p.* 41. 47. 48. qui non puerorum tantum, vſque ad pubertatem plenam, perpetua exercitia fuiſſe, quibus firma, agilia & dura redderent corpora, teſtatur; verum non minus quoque puellas fuiſſe exercitandas. ISOCRATES autem *in encom. Buſir. p. m.* 330. nos edocet, Lacedæmonios ab Aegyptiis quam plurima accepiſſe & ad ſuam rempubl. accommodaſſe.

§. III.

Reliquæ nationes Græca lingua vtentes, ſiue illæ in Græcia proprie dicta conſederint, ſiue Aſiam tenuerint, ſiue magnam Græciam, par inſtitutum amplexæ ſunt, vel a Spartanis edoctæ, vel quod ex iis plurimi, qui Aegyptum adierant, rem ibi acceptam cum ſuis ciuibus communicauerint, vel denique quod Phoenicum antiquiſſimæ coloniæ, quas magnus ille SAMVEL BOCHARTVS nobis indicat, hos mores inuexerint, frequentibuſque commerciis deinceps foue-

rint.

rint. Fuiſſe enim illam gentem in omne voluptatum & ſpectaculorum genus propenſiſſimam, res eſt aliunde notiſſima. a) Ab Græcis igitur communi animorum æmulatione in exercendam hanc artem itum eſt, cui fouendæ rectores populorum & ciuitatium religionem prætexebant, laudeſque honores & præmia proponebant, quæ cum ſua voce ἆθλα dicerent, athletæ vocabulum enatum eſt, quo hominem ad hæc præmia adſpirantem deſignabant: qui vero artem præmonſtrabant, gymnaſtæ, γυμναςαὶ, vocabantur, quia corpore nudato, vt minus impeditum eſſet, præſtitutos labores peragebant οἱ γυμναζόμενοι, ad artem in gymnaſiis adducendi. Plato eos vocauit ἀσκητὰς, vocabulo appoſite ſignificante, quia longis cerebriſque exercitationibus opus erat, ſi quis artes has corporum, ut ita cum TERTVLLIANO b) loquar, totas vellet perdiſcere. Frequentiſſimum denique vocabulum, quo ad certamina vtebantur deſignanda, erat ἀγὼν cuius latiſſime fere patet ſignificatus, ita vt muſica etiam & theatralia certamina ſub ſe comprehendat. Reliqua nomina, paſſim obuia, omittere liceat, quum eorum ratio ex infra dicendis ſatis ſit apparitura.

a) Conferri de hoc meretur elegans apud HERODIANVM locus *libr. II.* Φιλέορτοι δὲ φύσει Σύροι, μάλιστα οἱ τὴν Ἀντιόχειαν κατοικοῦντες, μεγίστην πόλιν καὶ εὐδαίμονα, σχεδὸν παρὰ πάντα τὸν ἐνιαυτὸν ἑορτάζουσαν.

b) *in ſcorpiaco adu. Gnoſtic. p. m.* 427.

§. IV.

Orta ſunt igitur illa in veterum ſcriptis decantatiſſima ſolemnia, Olympia ſcilicet, Nemea, Pythia & Iſthmia certamina, ad quæ omnis confluebat Græcia: & vt confluere poſſet, paucis ante ludicrum diebus per omnes ciuitates promulgabantur induciæ, vt tanto ſecurius ſacrificiis publicis & nundinis, quæ ſimul agebantur, poſſent operam nauare. Horum autem religionem, leges, aut, quæ de tempore illorum agitantur, controuerſias noſtri propoſiti lege detinemur, quo minus hic poſſimus attingere. a) Vnicum adiicere non incommodum fuerit, exercitationes has liberos tantum admiſiſſe homines, eosque fere nobiliſſimos & qui ciues eſſent, magnaque ductum fuiſſe tota Græcia laude, victorem in his ludis citari. Quin immo ex publico his hominibus annua ſoluebantur ſtipendia, vt nos *Galenus* b) docet; idemque ſub Romano imperio apud Græcos populos obtinuiſſe, ex PLINII c) ad Traianum epiſtola quadam licet colligere.

a) Pu-

a) Publici hi erant ludi totius Græciæ, ex quibus Olympia in Elide & Pythia apud Delphos exactis quatuor annis, ineunte quinto, celebrabantur; Iſthmia vero a Corinthiis, & Nemea apud Argiuos, tertio quoque redeunte; vide SCALIGERVM *animaduerſ. ad Euſebii chronic. pag.* 91. 92. Erant autem præterea celebrium vrbium Græcarum haud minus celebres ludi, vt Athenis, Panathenæa, multarumque aliarum, quæ in numis ſuis memoriam eorum poſteritati commendauerunt. Quo vero poſſet iuuentus inde a pueritia exerceri ad iſta certamina, quæuis vrbs vnum aut plura habebat gymnaſia, quibus præerat gymnaſiarcha, nobilis magiſtratus, qui omnia huc pertinentia curæ habebat. Quicunque vero in his patriæ ſuæ gymnaſiis tantum profecerant, vt iam artis fiduciam haberent, diu ante ſolennia certamina venire ad locum eorum debebant, teſtimoniis ſatis inſtructi, ibique per conſtitutum tempus ad leges ſtrictiſſimas viuere & documenta ſui dare.

b) *Suaſoria ad artes orat. pag.* 3. *lin.* 58. Τὸ τῶν ἀθλητῶν ἐπιτήδευμα ὑποπτεύω, μήποτε ἄρα τοῦτο, τὴν παρὰ τοῖς πολλοῖς δόξαν ἐπαγόμενον, δημοσίᾳ παρὰ τοῖς πατράσι τετιμημένον ἡμερησίοις ἀργυρίου δόσεσι, καὶ ὅλως ἴσα τοῖς ἀριστεῦσι τετιμημένον, ἐξαπατήσῃ τινὰ τῶν νέων. Multa cumulari hic poſſent de honoribus, qui certaminum ſacrorum victoribus apud Græcos habebantur; deque emolumentis, quibus omni deinceps vita fruebantur. Sed ſufficiant pauca. PLINIVS *libr. XVI. cap. IV.* quum de coronarum honore antiquo diſſeruiſſet, *nouiſſime*, inquit, *& in ſacris certaminibus vſurpatæ, in quibus hodieque non victori datur, ſed patriam ab eo coronari pronunciatur.* Et aliquibus interiectis, *de illa Græcorum ſumma, quæ ſub ipſo Ioue datur*, id eſt olympica, refert, quod *ipſi muros patria gaudens rumpat.* Scilicet non per portas vrbis victorem recipiebant, ſed per moeniorum partem dirutam introducebant, ſignificaturi, vt GELENIVS annotat, nihil opus eſſe moenibus ciuitati, quæ tales viros gigneret. Idem confirmat M. VITRVVIVS *libri IX. præf.* hunc in modum ſcribens: *nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea viciſſent, Græcorum maiores ita magnos honores conſtituerunt, vti non modo in conuentu ſtantes cum palma & corona ferant laudes, ſed etiam, quum reuertantur in ſuas ciuitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia & in patrias inuehantur, e reque publica perpetua vita conſtitutis vectigalibus fruantur.* Satis hinc intelligitur, Græcis tantum tribui illum morem, victores ſacrorum certaminum tantopere honorandi. De Romanis autem numquam probari poterit, quod vlli athletæ tantum fuerit tributum. Permittebant quidem ciuitatibus, in prouinciis Græco ſermone vtentibus, quantum de ſuo vellent honorare aut remunerari quem-

quemque victorem; vtique ſub libera republica & primis imperatoribus: ſed Romæ aut in Italia idem factum non inuenio. Quod propterea notare volui, ne quis in errorem abripiatur per HIER. MERCVRIALEM, qui ex loco Plinii, quem modo indicabam, obiter forte inſpecto, verba de honore ciuicæ coronæ habito capienda, male omnino transfert ad athletas eos, qui victores in ludis fuerunt. Eſt enim manifeſtum, ſermonem ibi eſſe de præmio militari, quod ciuis, ſeruato ciue & occiſo hoſte, accipit, corona ex quercus glandiferæ fronde. *Hac accepta licet vti perpetuo. Ludos ineunti ſemper aſſurgi, etiam ab ſenatu, in more eſt. Sedendi ius in proximo ſenatui. Vacatio munerum omnium ipſi patrique & auo paterno.*

e) *Libr. X. epiſt.* 119. vide ibi ab Cl. viro & huius academiæ immortali decore, præceptore meo, B. CHR. CELLARIO adnotata, adde etiam, ſi placet, PLVTARCHVM *Tom. II. p.* 639. *E.*

§. V.

Iam vero non intempeſtiuum fuerit conſiderare, quibuſnam exercitationibus tam celebres ludi peracti ſint. In quo video pleroſque ſcriptores valde inter ſe diſſidere, alioſque alia enarrare certaminum genera. Quam quidem inter antiquos auctores diſſenſionem ex eo ortam putauerim, quod non omni tempore iisdem vſi fuerunt occupationibus, ſed ætatis progreſſu, a) vt fieri in rebus humanis ſolet, quædam noua addita ſunt, vetera autem aliqua mutata vel abolita. Cur vero inter recentiores ſcriptores conuenire non poſſit, cauſam hanc manifeſto deprehendi, quod aliqui eorum non ſatis attenderunt ad differentiam illam, quæ inter gymnaſticam ſeu athleticam rem intercedit, & inter medicinam gymnaſticam: adeoque ex HIPPOCRATE, GALENO, ORIBASIO, AETIO aliiſque ſcriptoribus medicis, aliqua medicinæ gymnaſticæ inuenta & exercitia toti athletarum inſtituto vindicatum iuerunt. De quibus certum eſt, quod in ſacris antiquorum certaminibus, Olympiæ, Delphis, Corinthi aut Nemeæ commiſſis, fuerint, ſequentia ſunt. *Curſu* præcipue exercebantur, huicque certaminis generi is habitus eſt olim honos, vt ab eo Olympia certamina ordirentur. Triplici autem genere conſtabat illud certamen: ſi quis enim inde ab carceribus ad metam tantum properauerat, ſtadium percurriſſe dicebatur, cui ſecundum veterem dimenſionem b) ſexcentorum ambulationis pedum longitudo tribuitur: ſi quis idem

ſpacium à metis ad carceres vna contentione remetiretur, diaulon abſoluerat: quum vero quiſquam, nulla interpoſita quieſcendi mora, ſtadia percurriſſet plura (in numero non conuenit, c) SVIDAS d) viginti quatuor, alii duodecim tantum numerant) is dolichodromum perfeciſſe cenſebatur, pleniſſimique certaminis in hoc genere decurſor. Neque vero ſolum expediti currebant: verum etiam, ad belli vſus præparaturi homines, inſtituerunt ὁπλίτην, *curſum ſub graui armatura*, de quo PLVTARCHVS ſic ſcripſit: καὶ γὰρ ὁπλίτης ἐπὶ πᾶσιν εἰσάγεται, μαρτυρούμενος ὅτι τοῦτο τὸ τέλος ἐστὶ τῆς σωμασκίας, καὶ τῆς ἁμίλλης: *Poſtremo ſemper loco grauis armaturæ introducitur certamen, quod argumento eſt, hunc eſſe finem exercitationis corporis & certaminis.* Verum etiam illi ſunt curſoribus adnumerati, qui equos aut mulos agitando eadem ſpacia e) decurrebant: hinc PHAVORINVS f) vbi curſuræ ſpecies enarrat, præter δίαυλον & δόλιχον, etiam τέθριππον, quæ fit quadrigis, κέλητα, quæ equo deſultorio, & ἀπήνην, quæ rheda mulis vecta peragitur, enarrat, idemque auctor, cum SVIDA, g) δόλιχον exponit τὸ ἱπποδρόμιον, quod non alia de cauſa factum puto, quam quod pedibus non minus, quam animalium & curruum ope, apud Græcos olim hoc curſus genere decertatum fuit. Ceterum PLVTARCHVS h) omnino non ſatis caute ſcripſit: Τῶν ζώων μόνῳ τῷ ἵππῳ μετουσία στεφάνων καὶ ἀγῶνός ἐστιν. *Ex omnibus animalibus ſoli equo licet in partem certaminum & coronarum venire*; apud PINDARVM enim etiam in eos epinicia videas, qui rheda mulis vecta victores fuerunt.

a) Vt creuerit inſtitutum, ſæpeque mutatum ſit, diſci poteſt ex PAVSANIA *Eliacorum* l. *cap.* VIII. & EVSEBII PAMPHILI *chronico* p. 39. *ſeqq.* vbi iuuat JOS. SCALIGERI annotationes conſulere. Pauca ſpeciminis loco afferam. Primis tredecim olympiadibus ſolo decurrendo *ſtadio* ſimplici certabant: XIV. addebatur *diaulos*: XV. *dolichodromus* inſtituebatur: XVIII. *lucta* recipiebatur: XXIII. *pugillatus*, ab Onomaſto Smyrnæo, qui leges eius præſcripſit, adiiciebatur: LXV. *hoplites*, hoc eſt, grauioris armaturæ peditum curſus addebatur. Sua quoque tempora notata proſtant, quando bigis pullorum, quadrigis equorum, pullo deſultorio, aliisque ſimilibus exercitationibus, vſum bellicum promittentibus, certare inſtitutum fuerit: vt & quando coeptum fuerit, pueris quoque ſua certamina præfigere.

b) Nempe ab Hercule, proceriori quam reliqui fuerunt mortales, homine, dimenſio illa ad tot παραθέσεις, ſeu pedum ſub commoda am-

ambulatione permutationes, facta eſt. Hinc menſuram proceritatis, qua Hercules excelluit, inuenire & indicare auſus eſt Pythagoras, teſte GELLIO *lib. I. cap. I.* Ab EVSEBIO in *chron. pag.* 40. commemoratur Lygdamis Syracuſius, qui Olympiade XXXIII. pancratio vicit, vir præcelſus, qui ſolus potuerat, ad illam vſque ætatem, ſtadium Olympicum ſexcentis pedum permutationibus emetiri, indeque creditus fuit eadem eſſe proceritate, qua Hercules quondam fuerat. Propius eam determinat PHILOSTRATVS *de vitis ſophiſt. II.* agens de Herode Attico, eiuſque temporibus cognito homine Boeotio, quem Herodis Herculem dixerunt, qui in prima adoleſcentia magno Celtæ ſimilis erat, octoque pedum magnitudine: ad quem locum vide annotationes *pag.* 552. Notandum autem, quod pes cum paſſu minime debeat æquiparari: nam paſſui, (Græci ὀργυιὰν dixerunt) pedes ſex, aut aliquantulum ſupra quinque, tribuunt veteres.

c) Forte & hic diuerſis temporibus variatum fuit. Nam apud EVSEBIVM in *chronic. p.* 41. inuenio, circa Olympiadem LXVII. coeptum fuiſſe τρισσεύειν δίαυλον *ter repetere diaulon*, quod qui fecerant, abſoluerant ἡμιδόλιχον. Ergo plenus dolichus tunc fuit, quum quis duodecies ſtadium fuiſſet emenſus. Adde JOS. SCALIGERI *notas pag.* 428.

d) Quod Græci, poſtremis ſollennium ludorum diebus, equis etiam decertauerint, extra dubium poſitum exiſtimo, & confirmat SCHOLIASTES ARISTOPHANIS *ad Pacem verſ.* 899. τὸ γὰρ παλαιὸν ταῖς ὑστέραις ἡμέραις τὰς ἱπποδρομίας ἦγον ἐν τοῖσι ἀγῶσι. Quod etiam ſtadium emenſi ad metam flectere curſum debuerint, idque in pleniori certamine ſæpius, didici ex PINDARO *Olymp. II. v.* 90. vbi ἄνθεα τεθρίππων δυωδεκαδρόμων decantantur, quod in *ſcholiis* recentioribus non male, vt opinor, ad duodecies repetitum decurſum trahitur: δωδεκάκις γὰρ περιήρχετο τὸν δρόμον τὰ τέλεια ἅρματα. Sed illud, eademne hominibus & equis ſpatia fuerint, & an in ſtadio etiam cucurrerint equi & currus, forte dubitabitur. Jam diu me ſollicitum tenet PLVTARCHVS, qui in *Solone pag.* 91. τὸ ἱππικὸν διάστημα, *equeſtre ſpatium*, fuiſſe ſcribit *quatuor ſtadiorum*, quem locum XYLANDER interpretatur *quingentorum paſſuum.* Et ſane generoſo equo nimis exiguum, pro oſtendenda pernicitate, ſpatium fuiſſe videtur ſtadium: nec magnum videri debet, ſi quadruplum eius, quod de homine ſtatutum fuit, in equo deſiderabatur. Quamquam vero de menſura ſpatii,

quod equis & curribus emetiendum erat, clarum, quo PLVTARCHVS iuuari poſſit, teſtimonium nondum ſuccurrit: illud tamen clariſſime ex Pauſania cognoſco, quod apud Olympios ſtadium ab hippodromo diuerſum fuerit. Id vero cuiuis patebit, qui *libr. VI. cap.* 20. & 21. attente conſiderauerit.

e) *voce* δόλιχος.

f) *voce* πένταθλον.

g) Hic quidem *l. c.* ille in voce δόλιχος. Ad SVIDAM doctiſſimus KVSTERVS ita ſubnotat: *neſcio an haec lector ſine cenſura dimiſſurus ſit, certe mihi non probantur.*

h) *Sympoſiac. II. probl.* 5. *pag.* 619. adde PAVSANIAM *lib. VI. cap.* 9. qui de rheda, mulis iugalibus binis vecta, nos edocet.

§. VI.

Curſum excipit ἅλμα, *ſaltus*, qui non modo ſimplicem corporis, ad certum aliquod ſpatium, cum celeritate translationem denotat, ſed quoque illum motum, quum in altum exſilimus. a) Saltum autem facientes iuuari ſe magnopere halteribus ſentiebant, quos manibus tenebant, ne brachia libere fluctuarent. c) Quae autem de halteribus leguntur, incerta pleraque ſunt & controuerſa, de quibus illi conſulantur, qui ex inſtituto talia deſcribunt. Illud notamus, ab hoc exercitio differre plurimum ſaltationem, cui veteres deditiſſimi quidem erant, non autem athleticum putabant eius ſtudium. PETRVS tamen FABER c) ſaltationem Pyrrhicham, quae fit cum armis, referendam huc monet.

a) Mirum eſt, quam longe in eo pronecti fuerunt veteres. In EVSEBII *chronico p.* 40. refertur, quod Olympiade XXIX. vicerit Chionis Lacedaemonius, οὗ τὸ ἅλμα ποδῶν ἦν νβʹ, *qui ſaltum ad pedes LII. expedierat.* Ad quem locum IOS. SCALIGER *pag.* 427. notat: *Hoc prodigioſum. Nam nemo ſingulari ſaltu vltra XXVII. veſtigia ſua ſaltum expedire poteſt. Hic vero transmittebat longitudinem LII. pedum commodorum.* Ampliorem ſaltus modum attribuit Phayllo epigramma diſtichon in eum factum, nempe LV. pedum:

Πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα πόδας πήδησε φάυλλος
Δίσκευσεν δ' ἑκατὸν πέντ' ἀπολειπομένων.

Niſi forte poeta metri cauſa mentitus eſt. Nam in epilogo τῆς Ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφῆς in *theſ. temp. Scaligeriano pag.* 350. tantum de

de LII. pedibus dicitur. Ceterum de hoc Phayllo Crotonienſe videri poteſt PLVTARCHVS *in Alexandr. pag.* 685. PAVSANIAS *lib. X. cap. IX.*

b) Quemadmodum illi, qui ſe ad curſum celeriter perficiendum ac diutius tolerandum præparabant, non in loco plano ac ſolido exercebantur, ſed in profunda arena, (vt LVCIANVS *de gymnaſ.* auctor eſt) vbi nulla firmitate planta figi poteſt aut ſuſtentari, neque ſuffulciri promtum eſt, cedentibus ſubinde ad ſingulos paſſus pedibus (vide Romanorum ſimile conſilium apud VEGETIVM *lib. I. cap.* 11. & 12.): ſic hi, qui ad ſaltum inſtituebantur, corpus in altum efferre, aut in longum promouere, graui pondere onerati, adſueſcebant. Nam qui maxime impediti vires intendere valebant ad mediocre ſpacium exſuperandum, expediti facile duplum eius vel triplum transſiliebant. Teſtis idem eſt LVCIANVS, quod athletæ grandia plumbi pondera in manibus habentes ſaltum facere didicerint. Halteres illa pondera vocabantur; ſuntque multorum & grauium ſcriptorum teſtimoniis comprobata. Sed in deſcribendis illis non vſque quaque conueniunt: forte quod & hic aliquid temporum decurſu mutatum & ad vſum commodiorem aptatum aliter fuit: quo accedit, quod aliqui inter vſum mere athleticum & medico-gymnaſticum, in multis valde diuerſum, non ſatis diſtinguendo confuſas doctrinas inuexerunt; de quo iam ſupra conqueſtus ſum. PAVSANIAS *libr. V. pag.* 446. hæc tradit: *halteres iſti ſpeciem præferunt ſemicirculi, non exacte rotundi ſed oblongioris; ita vero ſunt fabricati, vt manuum digiti per eos immitti poſſint, veluti per amenta clypeorum.* Sed in picturis, quas HIER. MERCVRIALIS *pag.* 163. & 173. dedit, figura maſſarum eſt fere calyci ſimilis. Ceterum pulchre ibi cernitur, quam non ſoli halteres fuerint, quorum ponderibus grauati exſiliebant, ſed quod ſupra humeros grandia pondera alii ſuſtinuerint, alii plumbeis calceis induti, alii capitibus plumbi maſſas aut brachiis ſuſtentantes, ſe exercuerint. Neque ſolum ſaltum facientes athletæ halteribus vtebantur; ſed eorundem quoque vſum habebant veteres in medicina gymnaſtica, & in certa ſaltationis ſpecie, docente MERCVRIALE *pag.* 172. Et quum de vſu medico ſatis perſuaſus ſim ex GALENO, aliisque veterum teſtimoniis: fateor tamen, me in illa, quam MERCVRIALIS ex ORIBASIO adducit, ἀλτηροβολίᾳ nondum inuenire, quod cupit, fuiſſe nimirum genus exercitationis cum diſci iactu conferendum. Nihil enim eſt in illa deſcriptione quod

proiiciendum halterem indicat, ſed potius tantum agitationem & iactitationem manuum, ponderoſis maſſis oneratarum, quæ ſubinde concutiebantur, vt arma in ſaltatione Pyrrhichia. Nam inter varios vſus verbi βάλλειν eſt etiam illa notio iactandi, inclinandique. Sic HOMERVS *Iliad.* 8. v. 307. de capitibus papaueris, huc illucue agitatis, dicit: Μήκων ἑτέρωσε κάρη βάλε, quod SCHOLIASTES breuior exponit: ἀπέκλινε τὴν κεφαλήν. Apud HESYCHIVM adducitur ἀλτηρικὰ & exponitur ἀφὴ τῆς χειρός: quod non de quouis contactu, qui fit manu, intelligendum puto, ſed deſumtum ex aliquo medico ſcriptore, qui manibus & digitis, a morbo articulari debilitatis, commendant motum & vſum reparare tractando pro viribus maſſas eiuſmodi, vt halteres, initio quidem leuiores, ex cera, ligno, ligno cui plumbum ſit infuſum. Clare res patet ex CAEL. AVRELIANO, qui *tard. paſſ. lib. V. cap.* 2. ita præcipit: *arthriticis vero conuenit etiam digitis ceram emolliendam dare, vel manipulos tenendos, quas palæſtritæ alteres appellant, tum mouendos, cereos vel ligneos primo, cum paruo plumbo interfuſo, tum, pro modo profectus, grauiores.* Non diſpar eſt medela, quam commendat *lib. II. cap. I. p. m.* 318. *ed. Lugd.* Ceterum & illud profiteor me valde dubitare, vmquamne halteres in orcheſtica ſeu ſaltatoria arte locum habuerint: quin & illud mihi dubium videri, an iuſte doctiſſimo MERCVRIALI tribui poſſit illa aſſertio, quæ quidem in editione librorum *de arte gymnaſtica Amſtelodamenſi* 1672. legitur. Nam quum ATHENAEVM euoluo, apud illum quidem *libr. XIV.* inuenio adductum locum de Sicyoniis; ſed illis, æque ac Ithacenſibus, tribuitur ſaltationis genus, quod ὁ ἀλητὴρ vocatur: quod nomen æque in editione Valderiana Baſileenſi *pag.* 313. inuenies, ac in Commeliniana a Caſaubono 1611. procurata, qui nihil hic vel monet vel mouet. Prorſus itaque perſuaſum habeo, in libri MERCVRIALIS indicata pagina bis erratum fuiſſe a librariis, legique debere: *animaduerti volumus ab* ἁλτῆρος ἀλητῆρα *non parum differre;* & paucis interiectis: ἀλητῆρα *vero genus fuiſſe orcheſticæ ſiue ſaltationis*, cet. quo admiſſo cadit aſſertio, quam nunc aperte in eius libro legimus, quæque me diu in errore tenuit. Neque negligendus omnino videtur IO. CORNARIVS, qui *in commentariis ad* GALENI *de compoſ. med. ſec. loc. lib. II. pag.* 324. *&* 325. multum laborat in ſollicitando vſu, quem athletæ ab halteribus experti ſunt, atque ipſum nomen mutandum ſuadet, vt ſcribamus ἀλκτῆρας, quod exponit *adminicula*

la auxiliaria, aut ἀρτῆρας, quaſi *eleuatores*. Nolo referre docti viri nimis ieiunas coniecturas. Illa certe, quæ de vſu ſollicitat, rectius accipiuntur a viris grauibus, quorum ætate hæc florebant exercitia, quam ab illis, qui, ſero poſt abolita illa nati, opiniones comminiſcuntur. Et cur in medicina gymnaſtica relinquendi erunt οἱ ἁλτῆρες; quando autem de antiquiori & latius patente gymnaſtica ſermo eſt, commentitios ἀρτῆρας vel ἀλκτῆρας illis ſubſtituemus? Non ſatis poſſum mirari CORNARIVM in hac diſputatione, qui locum, ſuæ ſententiæ contrarium, ex LVCIANI *Anacharſi*, prius mutat aduerſus editionum, quotquot ego quidem vidi, omnium fidem, vt deinde poſſit peruertere. Nam quum hic dicat: ἀλλὰ καὶ ὑπεράλλεσθαι τάφρον εἰ δέοι, ἢ εἴτι ἄλλο ἐμπόδιον, καὶ πρὸς τοῦτο ἀσκοῦνται ἡμῖν, ἔτι καὶ μολυβδίνας χειροπλήθεις ἐν ταῖν χεροῖν ἔχοντες: pro his ille nobis hæc admet tur: *Quod ſi foſſam tranſilire opus ſit, aut aliud impedimentum, etiam id ipſum docemus, quando, qui ſe ad hoc exercent, halteras in manibus continent.* Dices, quid tum? Annon plumbi illa grandia pondera ſunt halteres? CORNARIVS non verba ſed ſenſum reſpexit. Vtique iniuſtus eſſet, ſi quis, ſalua re manente, ob verbulum mutatum litem moueret. Sed non ſalua res eſt. Audi CORNARIVM: *Ego non* ἀκτῆρας *eo Luciani loco, ſed* ἀλκτῆρας *legendum exiſtimo. Atque* ἀλκτῆρας *adminicula auxiliaria accipio, quibus ſuffultus aliquis foſſam tranſſilire commodius poſſit, cuius generis ſunt haſtæ & cuſpides, palique ac ridicæ, & aſſulæ oblongiores, quorum vſus etiam hodie vulgo ad foſſam ſaltu tranſmittendum eſt receptus.* Nihil ad excuſandum CORNARIVM excogitare poſſum, niſi forte hoc vnum, quod non ipſum inſpexerit Lucianum, ſed GVILIELMVM BVDAEVM, aduerſum quem illo loco diſputat, obiter conſiderauerit. Silentio hæc tranſiiſſem, niſi me diu torſiſſent, effeciſſentque, vna cum illis, quæ apud MERCVRIALEM forte librarius obſcurauit, vt fere deſperarem olim de his extricandis. Video etiam Cornarii intemperiem in corrigendo fraudi fuiſſe ROB. CONSTANTINO, qui in lexico ſuo, voce ἀλκτῆρες omnia ad eius mentem ponit, multoſque ſaniſſimos locos auctorum corrigere, aut potius deprauare, iubet.

c) *Agoniſtic. lib. I. cap.* 5. Agit iſto loco de numero exercitationum, quæ ad ſacros agones referri debeant. Scribit itaque: ἅλματος *nomen non ſimplex modo ſaltationis genus, verum id quoque, quod fit prehenſis manu halteribus, & Pyrrhicham quoque* ὄρχησιν *ipſam com-*

plecti-

plectitur. Admodum obſcurus eſt hic locus: incertum enim relinquit lectorem, quid ſibi velit *ſaltationis* vocabulo. Nam quum illud duabus diſtinctis rebus conuenire poſſit, ſcilicet τῇ ὀρχήσει, & τῷ ἅλματι ſeu πηδήσει: certum quidem eſt, athletico inſtituto tantum conuenire τὸ ἅλλεσθαι, ſeu, quod idem eſt, πηδᾶν. Quid igitur ſibi vult his verbis: *non ſimplex modo ſaltationis genus*? Si pro ſaltu, quo certabant athletæ, capiendum eſt, vt MERCVRIALEM præeuntem in hoc habet: cur addit mentionem prehenſorum manu halterum. Certe enim non puto, athletam ſine halteribus vmquam ſaltu certaſſe? Quod ſi vero omne genus orcheſticæ facultatis ad ludos ſacros & athletarum ſtudia reuocare cupit, cur inter tam multa ſaltationum inermium & armatarum genera ſolam τὴν πυῤῥίχην nomine ſuo recenſet? Mihi quidem perſuaſiſſimum eſt, neminem poſſe ex vllo antiquo monumento comprobare, quod in ſollennibus certaminibus Græciæ vmquam aliquis athleta admotus fuerit vlli ὀρχήσει, aut quod vllus vmquam athleta præmium ob præſtantiam in orcheſtica arte adeptus fuerit. Quod dum in genere aſſero, τὴν πυῤῥίχην me excludere ab athletico ſtudio aperte profiteor. Referenda potius eſt Pyrrhicha ad ſaltationem militarem, iuuatque de eo legere ATHENAEVM *dipnoſoph. XIV. p.* 630. 631. qui docet, quanto ſtudio Lacedæmonii hoc ſaltationis genus coluerint, apud quos in vſu fuit, quum omnes ceteri Græci illam omiſiſſent. Plura volentem ablegare liceat ad pulcras diſſertationes, quibus BVRETTIVS *hiſtoriam ſaltationis antiquæ* exhibuit, quæque leguntur *in commentariis Acad. Reg. inſcript. tom. II. pag.* 120. *ſeqq.* Notanter & diligenter dixi, athletam non fuiſſe admotum τῇ ὀρχήσει. Sed propterea non nego, factum fuiſſe, vt in publicis & ſolennibus ludis ſimul gymnici & muſici agones inſtituerentur & chori ſaltatorum ducerentur. Probe enim memini ex THVCYDIDE *libr. III. cap.* 104. fuiſſe olim in Delo inſula agonem quinquennalem, de quo ipſa verba dabo: καὶ ἀγὼν ἐποιεῖτο αὐτόθι καὶ γυμνικὸς καὶ μουσικὸς, χορούς τε ἀνῆγον αἱ πόλεις *illic gymnicum muſicumque certamen fiebat: & ciuitates eo ſaltatorum choros mittebant.* Manifeſtum hic eſt, tria diſtincta eſſe, certamen gymnicum, certamen muſicum, & choros ſaltatorum, a ciuitatibus, ex religionis cauſa, miſſorum. Enimuero hæc non fuiſſe neceſſario coniuncta, idem docet hiſtoricus, quando refert, Delios, multis a fortuna cladibus affectos, aliquandiu omiſiſſe τὰ περὶ τοὺς ἀγῶνας, vrbem autem Athenienſium, cum inſulis circumiectis, non ceſſaſſe

τοὺς

τοὺς χορους μεθ' ἱερῶν πέμπειν, *vna cum ſacrificiis ſuis ſaltatorum choros mittere.* Scilicet ſaltatores iſti non ſuo priuatim nomine veniebant, ſed publico ſuæ cuiusque patriæ, vt ſollemnem cultum & pompam augerent. Quum vero in eadem religioſa pompa ſuum iam locum ſeorſim haberent athletæ, non video qui potuerint duplicem perſonam ſuſtinere.

Ne quis vero exiſtimet verba χορους ἀνάγειν, χορους πέμπειν, non neceſſario inuoluere ſaltantium notionem, quum poſſint etiam chori cantantium intelligi: atque PLVTARCHVS in *Nicia p.* 524. vbi de hoc ipſo ſollemni Deliaco ſermo eſt, tantum loquatur de cantantium choris, οὓς αἱ πόλεις ἔπεμπον ᾀσομένους τῷ Θεῷ: reſpiciendum eſt ad longe antiquius teſtimonium HOMERI *hymno in Apoll. v.* 149. quod ipſe ibi citat Thucydides:

Οἱ δέ σε πυγμαχίῃ τε καὶ ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ
Μνησάμενοι τέρπουσιν, ὅταν ϛήσονται ἀγῶνα.

Quibus verbis duplex chori officium, tripudiando ſaltandi & cantandi, ſatis clare denotatur. Nam vocabulum ὀρχηθμὸς idem valere, quod ὄρχησις, docent *ſcholia ad Hom. Od. θ. v.* 263. & EVSTATHIVS *ad Iliad. ν' verſ.* 637. Addi omnino debet PLATO *de legib. VII. pag.* 909. 910. vbi χορους & χορείας coniungit, perſpicueque docet, quod verba odarum, quæ decantantur, harmoniæ rythmorum ſaltationisque rite accommodata eſſe debeant: idque ab antiquis legum auctoribus in primis fuerit recte conſtitutum.

§. VII.

Ab hoc ad tertium genus progredimur, δίσκον, ſeu *iactum diſci,* qui demum Olympiade XVIII. inter ſollennia athletarum exercitia receptus fuit, & ita quidem, vt partem pentathli conſtitueret; quemadmodum etiam quartum, quod ἀκόντιον, *iaculum* vocatur. Vnde factum videtur, vt horum duorum nomine nemo ſeorſim victor euaſerit, coronamque meruerit. a) Erat autem diſcus maſſa quædam orbicularis compreſſa, ſeu lenticularis figuræ, ex ære aut ferro, nonnumquam, ſed forte tantum inter illos, qui ſe priuatim exercebant, ex ligno aut lapide. Ponderoſæ erant, & politæ, vt non facile manibus haud exercitatorum teneri poſſent. b) MERCVRIALIS diſcobolorum figuram ex numo quodam, vt perhibet, Apolloniatarum exhibet, vnde ideam diſci totiuſque exercitii diuerſam, quam quæ

ce-

ceteris monumentis congruat, ſubnaſci neceſſarium eſt: ſed ille numus inter ſuſpectos meritiſſimo iure videtur reuocari. c) In proiiciendo diſco brachia, eiſque mouendis deſtinati muſculi, præcipue mouebantur, eorumque robur intendebatur. Victor erat, qui præ ceteris longiſſime proiicere illum potuiſſet. Dedi ſupra epigramma Phayllo conſecratum, qui diſcum ad pedes XCV. proiecerat. De *iaculo*, quale athletis in vſu fuerit, fere omnes ſilent. Fuiſſe videtur miſſile ponderoſum, quod manibus proiiciebatur, ita vt victor ille eſſet, qui inter plures quam longiſſime iſtud propuliſſet. Vnde differt ab arte ſagittariorum, qui arcus miniſterio vtebantur ad tela protenus iacienda. Hic quoque brachio firmando exercebatur motus, eratque quartum genus inter exercitia athletica.

a) Antiquiſſimis quidem temporibus ſua fuiſſe tam diſco, quam *ἀκοντίῳ*, *iaculo*, præmia, teſtis diſertus eſt PINDARVS *iſthmion. I. v.* 35. 36. ad quem locum ſcholiaſtes notat, victori tantum agri de publico fuiſſe datum, ad quot pedes iaculum proieciſſet.

b) *de arte gymnaſt. lib. II. pag.* 167.

c) vide diſſertationem BVRETTII *de diſco*, in *Memoires de Literature de l' Academie des Inſcriptions & bell. lettr. tom. IV. pag.* 458. *ſeqq.*

§. VIII.

Enarrata iam quatuor genera *leuibus exercitiis* puto eſſe adnumerata, de cuius nominis ratione inferius dicendum erit; nunc illud modo, antequam ad grauia progrediar, addo, pilæ etiam ludum in Pythiis ſacris apud Apolloniatas olim eſſe exhibitum, qui inter enumeratos fere leuiſſimus, &, quamuis priuatis magno vſui & delectationi fuit, proinde etiam a medicis haud raro magnopere commendatus: tamen inter athletarum propria exercitia a nemine, quod ſciam, pila refertur. Vide PETRI FABRI *agoniſtica.* a) HIERONYMVS autem MERCVRIALIS b) pilæ Græcæ diuerſam a Latinorum conſuetudine rationem, pro more ſuo, eleganter deſcribit, & non ſine ratione cum ſaltatione coniungit; ibidemque de huius exercitationis apud Romanos vſu pluribus exponit.

a) *lib. I. cap.* 6. *p.* 21.

b) *lib. II. cap.* 4. rationem pilæ Græcæ exponit, capite autem quinto, Latinæ. Addi poteſt *Galenus* eleganti *de exercitatione*, *quæ fit par-*

ua pila, libello. Sæpius iam laudatus BVRETTIVS in *Memoires de Litterature tom. II. pag.* 197. dedit elegantem diſſertationem *de ſphæriſtica*, qua de pilæ, tam maioris, quam minoris, omnibus rationibus accurate agit. Apud Romanos illi magna fuit æſtimatio, vt in villis ſuis nobiles ſphæriſterium haberent, quod ex PLINII *lib. II. epiſt.* 17. *&* *lib. V. ep.* 6. apparet. Imperatores etiam, Veſpaſianus, vt & Alexander Seuerus, multum huic exercitationi dediſſe legimus. Si tamen athleticæ rei pilæ, forte maioris, vſum tribuere volumus, videtur ille præcipue vindicandus pugilibus. Nam IVL. POLLVX *lib. III. cap.* 30. *ſegm.* 150. in medio catalogo vocabulorum ad πυγμὴν pertinentium ponit etiam σφαῖραν & σφαιρομαχεῖν. Atque huc pertinent illi athletæ, quos ex numo Gordiani Pii exhibet MERCVRIALIS *pag.* 127. prægrandes pilas ſiniſtra præferentes, quas dextra, cæſtibus armata, impulſuri ſunt. Forte illis propterea commendatum illud fuit, vt brachia, ad feriendum magis & continuo exercendo, roborarent & agilia redderent; vnde potius πάρεργον pugilum fuiſſe, quam ſeria occupatio eorum, videtur. In quo me confirmat EVSTATHIVS ad *Odyſſ. θ. v.* 371. *pag.* 1601. *edit. Rom.* vbi pilæ luſum εἶδος ὀρχήσεως, ſpeciem ſaltationis, fuiſſe teſtatur. Sed gymnaſticæ medicinæ pilam omnino debemus relinquere. EVSTATHIVS *l. c.* refert Herophili medici ſtatuam, inter alia inſtrumenta rei gymnaſticæ, etiam pilam adiunctam habuiſſe: vbi nuper putabam pro Herophilo legendum eſſe Herodicum illum ſeu Prodicum Selymbrianum, qui primus rem gymnaſticam medicinæ vſibus adaptauit. Nam de Herophilo illo Chalcedonio, clariſſimo viro, nihil ſuccurrebat, cuius cauſa medicinæ gymnaſticæ vindicari poſſit, quum potius a peritia anatomica & rei pharmaceuticæ ſtudio cenſendus eſſet; ſed exciderat locus, quem infra §. XVIII. exhibeo.

§. IX.

Ex *grauibus* certaminibus erat πάλη *lucta*, vnde palæſtra vocatur ille locus, vbi ad colluctandum homines inſtituebantur, & neceſſaria ceromatis inunctione ac pulueris inſperſione, quod luctæ maxime proprium eſt, a) præparabantur, quamuis non ignorem, vel PLVTARCHO b) teſte, palæſtram alibi tam late ſumi, vt deſignet τόπον ἐν ᾧ γυμνάζονται πάντες οἱ ἀθληταί, locum exercitiis omnium athletarum deſtinatum. Erat autem luctatorum in eo ſita exercitatio, vt mutuis complexibus ſeſe diuincirent & concertationis maiorem par-

tem varie miſcendis atque conſtringendis inuicem corporibus peragerent, donec in terram alteruter vel vterque proſterneretur, quod τραχηλίζεσθαι Græco vocabulo dicebant. Hæcque fiebant in lucta deiectoria, cuius hic finis erat. Erat autem alia etiam luctæ ratio, quam ἀκροχειρισμόν priſci appellabant, vbi ſtantes & manus protendentes vincebant aduerſarios, quo OVIDIVS c) reſpexit, quando Acheloi luctam cum Hercule deſcribit:

Cum pede pes iunctus, totoque ego pectore pronus,
Et digitos digitis & frontem fronte premebam.

a) Non ſolos luctatores fuiſſe inunctos, multa reddunt vero ſimile. Nam OVIDIVS *metamorph.* v. 178. vbi heroas diſci iactu certaturos deſcribit, ita eos nobis ſiſtit:

Corpora veſte leuant & ſucco pinguis oliui,
Splendeſcunt, latique ineunt certamina diſci.

Sed de eo inferius erit iterum diſpiciendi locus ad §. LXXVII.

b) *Sympoſ. lib. II. probl.* 4.

c) *Metamorphoſ. Lib. IX.* ineunte, qui locus totam luctæ rationem eleganter exponit, & eius, quæ ἀκροχειρισμὸς vocatur, & alterius, quum mutuis complexibus certantes ſibi inuicem complicantur; a verſu 29. ad 62.

§. X.

Succedit πυγμαχία, *pugilatus*, qui cruentum præbebat ſpectaculum & cum ſanitatis & integritatis periculo coniunctum, quare in celeberrimis Græcorum agonibus vix receptus legitur, quum indidem proſcriberetur, mox tamen poſtliminio recipiendus. Pugiles, inquit PLVTARCHVS, a) quando in ſe congrediuntur, οὐδὲ πάνυ βουλομένους ἔωσιν οἱ βραβευ]αὶ συμπλέκεσθαι, i. e. non licet ſe inuicem complecti: ſolis pugnis res erat peragenda, quibus antiquiſſimi homines nudis vtebantur: ſubſequuti ex corio bouino crudo, implicatis arte quadam lorulis & ad volas reuinctis, manuum robur augebant, cuius rei exemplum nobis PAVSANIAS b) enarrat. Poſtremi autem cæſtus inuenerunt, qui vocabantur, vt *Mercurialis* c) nos docet, laminæ æneæ manibus alligatæ; quibus autem alligabantur, erant lora quædam punctis interſtincta, quæ manibus & brachiis circumcirca alligabantur, vt non modo pondere aliquo & craſſitie, verum

rum etiam ſoliditate, cæſtibus certantes ſeipſos ferirent. Hactenus MERCVRIALIS, apud quem ipſa pictura, quam appoſuit, d) rem clarius præmonſtrat. In vniuerſum itaque hæc pugna ὀρθοστάδην abſoluebatur, finisque is erat, vt ille, qui grauius læſus aut primus viribus deſtitutus eſſet, victum ſe manu, ſermone vel alio geſtu profiteretur, quod in hoc ſolo pugilum, non alio certamine, locum habuit.

a) *Loco ante citato.*
b) *Arcadic. cap. XL. pag. 682. edit. Lipſ.*
c) *Libr. II. cap. IX.*
d) pagina 154. 155. 156. editionis Amſtelod.

§. XI.

Ex lucta & pugilatu aliquod quaſi compoſitum certaminis genus erat, quod *pancratium* dixerunt veteres, quo illi, qui inter ſe dimicabant, non ſolum, vt res ferebat, pugnis ſe inuicem percutiebant, ſed quoque manus ſibi iniiciebant & deiicere alterum conabantur, deiecti etiam, inter firmos complexus, eo nitebantur, vt alterum depreſſum ac ſuppoſitum retinerent, nihil intermittentes, quo ſe ad hoc poſſe iuuari putarent, adeoque nec vnguibus nec dentibus abſtinentes. Atque hoc genus, vt dixi, pancratium & ſæpe cum additione, volutatorium appellabant. Vitæ ſanitatique periculoſum erat hoc certamen, ſi non magis pugilatu, certe nihil minus. Eius rei exemplum apud PAVSANIAM a) legitur, vbi vterque concertantium in arena mortuus fuit.

a) *lib. VIII. cap. XXXX. pag. 682.*

§. XII.

Tribus adhuc verbis de *pentathlo* addendum eſt, quod nomen illi imponebatur, ſi quis poſſet omni athleticæ facultatis genere, quæ ſuperius enarrauimus, decertare & victoriam reportare. Dicebantur πένταθλοι, Latine *quinquertiones*, aliquando etiam πάμμαχοι, qui quouis genere decertare nouerant, adeoque curſu, ſaltu, diſco, iaculo & lucta. Atque intra hæc quinque conſiſtebat ars pentathlorum antiquiſſimis temporibus, quum pugilatus nondum receptus eſſet. Poſtquam vero hic adiiciebatur, vt re vera ſex eſſent certamina, manſit tamen antiquum nomen, quo tantum quinque artes deſignantur. Neque tamen dubitare licet, quin pugilatus vere fuerit pentahlo ac-

 cen-

cenſus, illis certe locis & temporibus, quibus illo interdictum non fuerat: quum grauiſſimorum & coæuorum teſtimoniis clariſſime comprobatum ſit, quod ad quinquertium omnino pertinuerit. a) Ceterum dicendum nunc eſt etiam pauciſſimis, quod, qui ſe eo comparabant, vt victores horum publicorum & ſollemnium ludorum fierent, multo tempore ſeſe antea magiſtris harum artium tradiderint formandos & præparandos, quo tempore multa facienda & ferenda erant, a multis etiam ſeſe abſtinere debebant. Quin immo ante illud ipſum tempus, quo pro corona decertare vellent, oportebat per præſtitutos dies in ipſo loco ſubeundi certaminis præparari & præexerceri, quod προαγῶνα ſeu προγύμνασμα dicebant. PHAVORINVS b) illud ſpacium triginta dierum fuiſſe docet, ſed multo illud longius & decem menſium fuiſſe PETRVS FABER c) ex *Pauſania* comprobat, ſimulque id docet iurisiurandi religione in templo Iouis ὁρκίου fuiſſe adactos, vt omnibus artis antiquæ ſtatutis ac legibus, quam fieri poſſet accuratiſſime, per totum hoc tempus ſatisfacerent. Sed idem auctor alio loco d) cum PHAVORINO ſentire deprehenditur. Quod quidem legitimum tempus ab ipſo tirocinio diuerſum eſſe, vel ex eo ſatis apparet, quod longe minus ſit, quam ad illum habitum, cum artis tum etiam corporis, comparandum ſufficiat. Sed de præparatione & habitu illo mox dicemus, quum prius viderimus rei athleticæ apud Romanos faciem. Quum enim non Græcis ſolum, ſed Romanis maxime monumentis, ad harum rerum intelligentiam, vti debeamus: neceſſitas ipſa nos cogit rem hoc modo inſtituere.

a) Plura de pentathlo, quæ ad ſcopum noſtrum non faciunt, ſed hiſtoriam eius bene illuſtrant, videantur a CL. BVRETTIO diſputata in *Memoires de litterature tom. IV. p.* 441. *ſeqq.*

b) in ὀλύμπια.

c) Libr. III. cap. 4. & cap. 23.

d) *Libr. III. cap.* 7.

§. XIII.

Romana igitur ciuitas, vt omnium deorum religiones ſuſceperat: ita quicquid alicubi ludorum & voluptatum erat, eo magis ad ſe tranſtulit, ſi eſſent cum religionis prætextu & honore coniuncti. Quemadmodum vero non eadem ſe nobis forma, & moribus iiſdem, Roma ſemper offert: ita, ſi hoc inſtitutum ſpectes, inuenies ſane eandem rem, ſed longe minori pretio habitam, quamdiu libera fuit. Anti-

Antiquiſſimi Romani non deſtituebantur pugilum exercitationibus, theatrum etiam admittebant & circi ludis delectabantur, quæ videntur a Græcis moribus non aliena; in hoc tamen haud leuem deprehendas diuerſitatem, quod nobiles ciues ſuam grauitatem minus decere tales occupationes, ſaltem in publico exercendas, arbitrarentur. Vnde viliores fere tantum homines erant, qui his rebus publice operam dabant. a) Maxime autem bellicoſa natio delectabatur cruentis gladiatorum ſpectaculis, antea apud Campanos & Etruſcos familiaribus: adeo quidem, vt nullum facile magis placeret, quam quo plurimum ſanguinis profunderetur, nec cœna ſatis in conuiuio ſuauis videretur, niſi aliquot gladiatorum paria caderent. Hi vero gladiatores vel bello erant capti homines, vel ære a barbaris nationibus ad id comparati, vt, in ludo prius ſaginati & ad horrendam artem eruditi, vel cum publica munera populo ederentur, vel cum priuati a laniſtis eos ſibi emere vellent, in promtu eſſent. Quando autem depugnabant, vt plurimum pedeſtres quidem erant, ſæpe tamen eſſedis impoſiti ſtantes, aurigante interim ſeruulo, inter ſe decertabant, quod ex SVETONIO b) clare diſcimus. Ii vocabantur eſſedarii.

a) Satis vtique certum eſt quod Græci ad athletica certamina neminem admiſerint, niſi natione Græcum, conditione liberum, natalibus & moribus honeſtum: quæ tria requiſita ante, quam aliquis admitteretur, ſeuere exigebantur. Enimuero Romæ aliquibus viſum fuit minus ſcrupuloſe hæc fuiſſe omnia conſiderata, niſi illo caſu, quo athletici ludi in ſacris adhibebantur. Colligunt hoc docti viri ex LAMPRIDIO in *vita Alexandr. Seueri p. m.* 282. ita ſcribente: *curſorem numquam, niſi ſeruum ſuum voluit, dicens, ingenuum non niſi in ſacro certamine currere debere.* Circus certe Romanus numquam carebat ſpectaculis, quæ inſtituta forte a priuatis otioſam plebem oblectabant, pro quibus ſtipem a ſpectatoribus collectam fuiſſe, quæ alendis illis hominibus impenderetur, vero ſimile videtur. Sed, vt verum fatear, mihi vix firmiter perſuadere talia poſſum, quum ex publicis tot monumentis legerim, quantopere ſe iactitent corpora & communitates athleticorum hominum, qui in ipſa vrbe vixerunt. Sed hæc amplius requirant, qui antiquitates ex inſtituto tractant. Forte etiam extra Romam, ad populum in theatris continuo delectandum, exhibita ſpectacula fuerunt ſeruorum, eadem, quæ in ſacris & ſollemnibus ludis per ingenuos edebantur, factitantium. Certe DIO CHRYSOSTOMVS *Orat. XXXII.* ita intelligendus erit, quando

de

de Alexandrinis ſcribit, quod mancipia ibi pro exigua mercede populum delectent, ὁ ἀγὼν ἀνδραπόδων ὑπὲρ τοῦ τυχόντος ἀργυρίου. Atque iſtiuſmodi teſtimonio videtur adductus IO. DOVGTAEVS, vt in *analect. ſacr.* ad locum 1 *Cor. IX*, 24. 25. ſcriberet, ibi ſermonem eſſe de hominibus, operam ſuam in hæc exercitia mercedis pretio ſollemniter elocantibus. Quod miror aliquos eſſe ſequutos, quum in epiſtola ad Corinthios, iſthmicorum ludorum arbitros & tutores ſcripta, maxime ad intelligendum procliue eſſe debeat, quod ſacer ſcriptor mores illius ciuitatis, non cuiuſcunque externæ, reſpexerit.

a) *in Caligula cap. XXXV*, 8.

§. XIV.

Poſtquam autem hæc vrbs, orbis iam domina facta, in vnius domini ſeu imperatoris poteſtatem deuenit: horum intererat, bellicoſum populum aliis imbuere moribus, & multitudinem quidem otioſam ſpectaculis variiſque oblectamentis delinire, vt ſeruitutem moderatius ferrent, nobiles autem ſenſim eo deducere, vt ſuæ grauitatis obliuiſcerentur. Cuius quidem rei in Iul. Cæſare iam inſpicimus clarum documentum, qui, quum in priuatis domibus ludos pro gladiatoribus inſtituiſſet, eos non per laniſtas, ſed per equites Romanos, ac etiam per ſenatores armorum peritos, erudiebat; a) immo eodem ſub principe ſenatores iam & equites Romani, publicis in foro muneribus, ſe intermiſcebant gladiatoribus; poſt hunc Auguſtus ſenatoribus quidem interdixit, equitibus vero permiſit gladiatoribus intereſſe. b) Quo res tandem temporis progreſſu deuenerit, obſcurum nemini eſſe poteſt Neronem intuenti aut Domitianum aut Commodum, qui ſe abiectiſſimis mancipiis intermiſcere ipſi non verebantur, vt multitudini inconditæ ſuis inſaniis placerent. Maxime autem Domitianus ex his inſignis eſt, qui aliquamdiu intermiſſum pugilatum reuocauit, cui MARTIALIS c) quidem ob id gratulabundus blanditur, tamquam *veteres Latiæ ritus renouanti arenæ, qua pugnet virtus ſimpliciore manu*: quod non ita voluit, vt gladiatorum antiquauerit certamina, ſed, tamquam non ſatis eſſet in vrbe ludorum, hos, obliuioni fere traditos, addiderit prioribus, & hoc inſuper adiecerit, vt feminæ etiam pugnare gladiatoribusque intereſſe debuerint, quod ex eodem MARTIALE, vt & IVVENALE, d) diſcimus.

a) SVETONIVS *in Iul. Cæſar. cap. XXVI*, 8.

b) Idem *in I. Cæſ. cap. XXXIX.* & *Auguſto c.* 43.

c) *Li-*

c) *Libro IIX. epigr.* 80.
d) *conf.* MARTIAL. *Spectac. epigr.* 6. *libr.* 6. *epigr.* 66. IVVENAL. *Satira* 6. *v.* 2. 246. *ſeqq. addi poteſt* SVETONIVS *Domitiano cap.* 4.

§. XV.

Pugilatus autem, vt frequenter hoc æuo exercebatur; ita non minus certe erat ipſa gladiatura infamis, vt fere plurimos huius generis homines ære ad id comparatos, aut ſententia iudicis addictos, inueniamus. Legimus a PETRO FABRO a) ex optimis hiſtoricis relatum, ſub Galerio & Maximino Impp. Chriſtianum nomen profeſſos, tamquam nocentes homines, agoni pugilatus, apud Cæſaream ſubeundo, eſſe adiudicatos, cuius impii inſtituti legibus quum nec vellent nec poſſent ſe ſubiicere, oculis fuerunt orbati. Mirandum tamen non defuiſſe, qui ſponte ſe & libera voluntate pugilatui & gladiaturæ ſubiicerent, leui auctoramento inducti, &, quod magis mireris, homines proauorum laudatiſſimorum ſtemmate ortos, auctoratos iuraſſe vri, vinciri, (LIPSIVS mauult legere virgari) ferroque necari; quos quidem digne exagitat IVVENALIS. b) De gladiatoribus, eorum conditione, variiſque generibus, pauciora attulimus, quoniam de iis doctiſſimus vir IVSTVS LIPSIVS, *Saturnalium ſermonum duobus libris*, copioſe egit.

a) *Libr. III. cap. XI. pag.* 271.
b) *Satira VIII. v.* 190. *ſeqq.*

§. XVI.

Sed vt ingenioſi ſunt homines permutandis voluptatibus; ita nihil diu delectare admodum poteſt, quotidieque talibus ſtudetur, quæ nouitatis gratia blandiuntur. Aurigationum itaque ſpectacula circenſia reliquis tandem ita præualuerunt, vt vnice hominum fauorem mererentur, ſubortæque hinc factiones a) non raro ipſam rei ſummam ad arbitrium ſuum flecterent, quod obſcurum non eſt imperatorum vſque ad Iuſtinianum hiſtoriam peruoluenti, aut vnicam modo PROCOPII *arcanam hiſtoriam* legenti. Quo magis factum exiſtimo, vt inſequuti Imperatores cogitandum ſibi ſtatuerint, qua poſſent ratione, cum exiſtimatione harum exercitationum, rem tandem ipſam prorſus abolere. Qui enim Iuliani temporibus ſcripſit, ORIBASIVS b) medicus, pueros quidem adhuc exerceri tunc ad

bonum habitum ſolitos, & ipſos athletas, commemorat; tempore autem poſteriori eo res deuenerat, vt athletarum nomen & profeſſio eſſent deridiculo. c) Gladiatorum quidem ſpectacula cruenta Conſtantinus M. edicto ſuſtulerat, ſed quod ipſe nimis libenter vetitis certaminibus oculos paſcebat, exemplum magis quam edictum valuit. Honorio autem imperante penitus ſunt abrogati & e rep. proſcripti, ex quo tempore gladiatores dicti ſunt carnifices. d) Quid reliquis certaminum generibus exitium attulerit, an principum edicta, an vero turbulenta & bellis inquieta tempora, exterarumque gentium in Romanas ditiones illuuies, non vacat inquirere. Equidem cenſeo ad hanc rem maxime feciſſe Chriſtianæ religionis ſanctitatem, quæ plurima in his exercitatoribus fœda, & hanc religionem profeſſo indigniſſima, patefecerat, vſumque ſeueris conſtitutionibus eccleſiaſticis coercuerat. e)

a) *de his legi poteſt ad C. Plin. lib. IX. ep. 6. B. Chr. Cellarius*, & præter ibi citatos *Nicolaus Alemannus annot. ad Procopii hiſtoriam arcanam p.* 25. Ampliſſime autem de his omnibus egit ONVPHRIVS PANVINIVS, præclaris libris *de ludis Circenſibus*, quos doctorum virorum notis illuſtratos reddidit CL. GRAEVIVS *theſaur. antiquitat. Roman. tom. IX.* Erant autem aurigæ, ſeu perſonæ iſtæ, quæ bigas aut quadrigas agitando, & circa metam flectendo, populum delectabant, in certas cohortes ſeu familias diſtributi & a colore veſtium, quibus induti erant, nomen adepti. Vocabant factiones, vocabulo initio quidem honeſto, vt SEXT. POMPEIVS addocet, qui non ſolum aurigatores bigarios & quadrigarios, verum etiam hiſtriones per factiones fuiſſe diſtinctos atteſtatur. Erant autem factiones: *Praſina*, a viridi colore dicta: *Ruſſata*, quæ & roſea, a rubeo: *Albata*, ab albo: & tandem *Veneta*, a veneto, id eſt, cæruleo colore nomen adepta. Atque horum quidem colorum myſteria multi expoſuere, vel ad tempora anni vel ad numina quædam reſpicientes. Mihi vero proximum videtur, quod ideo inuentum hoc fuerit, vt ſpectatores de cuiusuis in agitando dexteritate iudicium laturi melius diſtinguere & oculis arbitrari vnumquemque aurigam poſſent. Nam cum circi longum eſſet ſpatium, & quatuor ſimul decurrere deberent; non facile erat vbique oculis eos accurate diſcernere, ſi eodem omnes habitu induti & exornati procederent. Quod autem tantum quatuor, quos fors coniunxerat, ex vna quaque factione vnus, ſimul decurrerint, & non ſimul omnis multitudo aurigarum carceri-

bus

bus emiſſa fuerit, diſcimus ex eo potiſſimum, quod etiam in curſura ea, quæ pedibus in ſtadio fiebat, non plures ſimul quatuor, quos ſors coniunxerat, emittebantur. Quod ſi in illis, qui pedibus contendebant, ea prouidentia opus fuit, ne multitudo confuſionem faceret: quanto magis illa opus fuerit in bigis & quadrigis, quæ amplius ſpacium vtique occupant, facile intelligitur. Poſſent hic, ſi antiquitates explicare inſtituiſſem, multa moneri ab aliis prætermiſſa aut minus recte tradita: quæ ſingulari commentationi reſeruare, quam hic infercire malo. Illud tantum addo, quod aurigæ ſeu agitatores illi Romanorum non conferendi ſint cum Græcis, qui erant liberi homines, & ſæpe illorum, qui equos & currus ad certamina ſacra miſerant, regum aut principum fratres, cognati aut adfines: quum Romæ longe ſæpiſſime fuerint ſerui, libertini aut ſaltem aduenæ. Certe libera republica, & ſub imperatoribus, qui ordinum dignitati ſtudebant. Sic de Hadriano Aug. relatum legimus apud DIONEM CASSIVM, quod cum in quodam ſpectaculo aurigam quendam liberum fieri cum clamore populus rogaret, Hadrianus per tabellam reſponderit, iniquum eſſe, alienum ſeruum liberum facere, & eius domino vim & iniuriam fieri. Enimuero ſub imperatoribus legum minus ſtudioſis ſenatores etiam aurigaſſe SVETONIVS *in Caligula cap. XVIII.* refert: & DIO in Nerone: *id vero turpiſſimum viſu atque grauiſſimum fuit, quod viri feminæque, non ſolum equeſtris, ſed etiam ſenatorii ordinis non ſolum in orcheſtram, circum & amphitheatrum ingreſſi fuerunt, vt homines turpiſſimi ac inhoneſtiſſimi, ſed etiam nonnulli eorum tibiis cecinerunt, ſaltauerunt equos agitauerunt ac belluas occiderunt.* Atque omnino videtur cum tempore eo rem fuiſſe redactam, vt agitatores inter honeſtos haberentur. Certe VLPIANVS *l. IV. D. de iis, qui not. infam. agitatores*, inquit, *non ſunt inter famoſos.* Et paulo poſt dicit: *artem ludricam non facere neque thymelicos, neque xyſticos agitatores.* Vide apud PANVINIVM *l. c. pag.* 112. *not.* 78. Quod vt tanto magis videatur, perſuadent honorificæ inſcriptiones agitatoribus eiuſmodi poſitæ, quas apud GRVTERVM pag. CCCXV. num. I. & CCCXXVI. I. plures autem apud OCT. FALCONERIVM legere & conſiderare iuuabit.

b) *Synopſ. lib. I. præfatione ad Euſtachium filium.*
c) de quo videndus EVSTATHIVS ad *Homer.* iliad ↓.
d) *Barthius Aduerſar. lib. XVI. cap.* 12.

 e) Scili-

e) Scilicet tota hæc res athletica ſeu gymnaſtica erat profanæ religioni ita implicata & coniuncta, vt nemo Chriſtianam amplexus illam probare, ne dicam exercere poſſet. Non enim ſolum omnes illi publici & ſollemnes ludi in honorem certorum deorum vel heroum fiebant: verum etiam qui ſe ad certamina obeunda offerebant, per iouem ὅρκιον iurare cogebantur. Hinc factum eſt, vt primi chriſtianæ doctrinæ antiſtites & propagatores multi fuerint in oſtendenda turpitudine & impietate omnium id genus ſpectaculorum, quos inter inprimis S. CYPRIANVS eminet, vt & TERTVLLIANVS, cuius *de ſpectaculis* liber luculentus eſt & legi meretur. Sed quum ob adhærens inſtituto athletico idolatriæ grauiſſimum vitium merito illud damnarent: propterea tamen ipſam rem, ab idololatria abſtractam, & bono corporis habitui comparando & conſeruando deſtinatam, minime reprobabant. Pulchra ſunt, quæ in hanc rem diſſerit CLEMENS ALEXANDRINVS *pædagog. lib. III.* vbi docet, quomodo gymnaſiis, balneis, vnguentis vti Chriſtianum deceat. Plura de impietate omnis athletici inſtituti veteris cupientem abunde ſatiabit OCT. FALCONERIVS in *not. ad inſcr. athletic. pag.* 2309.

§. XVII.

Non licet nunc alias etiam intueri, poſt Græcos & Romanos, gentes & præcipue antiquiſſimorum in Germania noſtra hominum mores conſiderare, & quibus, qualibuſue ipſi exercitationum generibus fuerint dediti, multum expendere; quamuis forte aliquid deprehendi non diſſimile antiquorum exercitationibus poſſet, ſi quis in ludorum equeſtrium, quos torneamenta dixerunt, vltimam originem vellet inquirere. Superſedebimus autem hoc labore vlterioris inueſtigationis & potius ad ea accedemus, quæ medica conſideratione, in athletica re illorum populorum, quos præ manibus habemus, digniora videntur.

§. XVIII.

Omnium ſcilicet minime otioſi ſpectatores tantum rei athleticæ medici erant, ſed in partes omnino ipſi etiam abripiebantur. Hi enim naſcentem quaſi ſuſcipiebant artem, & ſalubribus præceptis formabant, vt corpori quam maximum afferret emolumentum. Fuiſſe in magnis & felicibus vrbibus gymnaſticorum hominum valetudini curandæ præfectum medicum, qui ab eo, quod ſanis conſeruandæ

dæ ſanitatis & boni habitus comparandi ac augendi præcepta dabat, hygienus, ὑγιεινὸς, vocabatur, ex antiquis monumentis teſtatum dedit ANTON. van DALE. Sed non præceptis tantum, ad diætam rectisſime inſtituendam, eius incrementa iuuabant, verum etiam pluribus corporum, tali arti deditorum, morbis & affectibus, tam internis quam externis, ſuccurrebant. Quod minime diſſimulat GALENVS, a) vitioſæ gymnaſticæ, quæ ſuis temporibus inualuerat, acerrimus alioquin inſectator, legitimæque auctores non contemnendos laudat Hippocratem, Dioclem, Praxagoram, Philotimum, Eraſiſtratum atque Herophilum, clariſſima ſane in medicorum ſcholis nomina. Quin immo PLATONIS b) grauiſſimo teſtimonio conſtat, Herodicum, paullo ante Hippocratis tempora, illam diſciplinam medicinæ adiunxiſſe: quanquam non boni habitus comparandi & conſeruandi ſpe & euentu, ſed vt morbum, quo detinebatur, minueret, eiuſque incrementa quotidie imminuendo, vitam produceret. Id vero ipſi ex voto ſucceſſiſſe, tam Platonis teſtimonio conſtat, quam ARISTOTELIS. c) Quum artis in ſe ipſo ſpecimen dediſſet, plures mox accepit, qui eius vti volebant conſiliis: ex quo nata fuit medicina gymnaſtica: quæ non tam quærit bonum habitum corpori per exercitia comparare & conſeruare, ſed labefactatam valetudinem atque afflictam ſenſim imminuere & auferre, aut ſi præſtari hoc ob morbi grauitatem non poſſit, incrementa eius per exercitia & reliquam diætam cuiuis indiuiduo aptiſſimam præſcindere. Atque adeo patet diſcrepantia inſtituti athletici ſeu gymnaſticæ ſimpliciter dictæ, quæ pertinet ad hygieinen: & medicinæ gymnaſticæ, quæ pars eſt therapeuticæ, & morbos per exercitationes, balnea ac diætam reliquam expugnare nititur.

a) *ad Thraſybulum.*
b) *de republ. lib. III. pag. 622.*
c) *Rhetoric. I. cap. V.*

§. XIX.

Medici itaque athleticam rem primo direxerunt; deinde ex athletica re ad medicinam curatiuam non pauca tranſtulerunt. Et cum multa, ex illorum temporum vſu, eſſent viliora, vtpote in balneis, frictionibus, inunctionibus, manuum opera, ab homine tamen non imperito, peragenda: ad hoc miniſterio ſuorum mediaſtinorum vtebantur. Quum etiam non minus frequenter luxationes & diſtorſio-

nes membrorum acciderent; ad illas percurandas famulorum quoque vtebantur opera. Sed hæc res cum tempore multa peperit incommoda medicis. Quum enim hi homines in his rebus aliquam vſu multo exercitationem acquiſiuiſſent; inſolentius ſe gerere in magiſtros cœperunt, totamque rem in ſuam poſſeſſionem abripuerunt. Vnde a tam longo iam tempore cœpit chirurgia quaſi βάναυσος & vile opificium reddi. Sed non contenti hoc ipſo ſpolio, vniuerſam artem medicam inuolare & ad ſe rapere annisi ſunt, poſtquam audaces eſſe in viliſſima eius parte didicerant. Sed & prorſus in contemtum vniuerſæ medicinæ res hæc accidit. Quum enim ipſi illi, qui ſe ſic gerebant, viles eſſent homines, & libenter ſe nobiliorum ſeruitiis darent, quorum fere quilibet domi locum pro exercitando corpore, eoque lauando perungendoque habebat; in familiam ſibi adſciſcebant tales iatraliptas: vnde fabula inoleuit, medicos olim Romæ ſeruitutem ſeruiuiſſe. a)

a) Pluribus & ex inſtituto de hoc argumento diſſerui in ſingulari commentatione *de ſerui medici apud Græcos & Romanos conditione*: quam ſuo tempore auctiorem dare forte licebit.

§. XX.

Vidimus, quam varia fuerint certamina, quibus priſci mortales vel ſpectandis vel ſubeundis tantopere delectabantur. Tempeſtiuum nunc videtur diſpicere, quinam intelligendi ſint, quando, apud Græcos pariter & Latinos ſcriptores, mentio athletarum, corporum gymnaſticorum ſeu athleticorum, aut diætæ vel vitæ gymnaſticæ cultorum occurrit. Equidem fateor difficillimum mihi heic viſum fuiſſe aliquid ſtatuere, quod antiquitatum cultoribus omnibus ſatisfaceret, ſi rigidius velint mecum agere. Tandem autem rationes ita ſubduxi meas, vt neminem me reprehenſurum ſperarem, ſi, quoſcunque habitus & diætæ illius, quam conſidero, ſtudioſos inuenirem, in hac tractatione cum athletis ſtricto iure dictis coniungerem, adeoque de gladiatoribus etiam, aut ſi quos alios Roma apud Græcos notis athletis adiecerit, aut in aliam formam tranſmutauerit, aliqua intermiſcerem.

§. XXI.

Sed hic aurem vellicat IOVBERTVS, a) qui illos tantum ſtatuere videtur huius acquirendi habitus cauſa athleticam diætam ob-

ſer-

ſeruaſſe, qui grauibus exercitiis dediti erant, quæ propterea putat nomen hoc accepiſſe, quod grauitate, ex corporis maxima mole comparata, indigerent. Ita ſolis pugilibus, luctatoribus & pancratiaſtis nomen illud remaneret, curſores autem cum ſalientibus & iaculatoribus, ex parte etiam, & IOVBERTI iudicio, gladiatores exciderent nobis. Verum enim vero quicquid ſit de nomine grauium certaminum, illud non euincet IOVBERTVS, quod voluit: quum de gladiatorum quidem ſagina tam clara exſtent teſtimonia, vt dubitandi nullus omnino ſuperſit locus. Videri autem illa apud LIPSIVM b) poſſunt. De ceteris ex eo certiores de diætæ ſtudio reddimur, quod iidem, qui leuioribus vicerunt, etiam grauioribus victoriam ſæpe ſunt in iisdem certaminibus adepti, adeoque quinquertiones celebrati. Si autem grauiora nemo vincere ſine corporis grauitate potuit, quod IOVBERTVS admittit; & tamen illi graues, & mole corporis macti homines, leuioribus vicerunt eodem tempore, quo in grauibus victoria potiti ſunt; ſequitur ſane, vt molem corporis eam fuiſſe ſentiamus, quæ nec pernicitati pedum, nec reliquorum membrorum agilitati, quicquam officeret. Ne nunc dicam qua virium oſtentatione ſaltum exercentes ſe offerant, qui certamina non expediti ſuſcipiebant, ſed vel calceis ex plumbo factis vel maſſis plumbeis prægrandibus circa humeros adaptatis, aut brachio vel alia corporis parte geſtatis, impeditiſſimi prodibant. Qui vero diſcum iaciebant aut iaculum torquebant, aut halteribus exercebantur, iis certe non minimis lacertis aut languidis, ſed oppido toroſis opus erat. Ipſos denique curſores, vt velocitatibus ſe commendarent, maximeque cum dolichon decurrebant, non languidos fuiſſe oportet. Denique omnem dubitationis ſcrupulum eximit Milonis Crotonitatæ decantatiſſimum robur & voracitas plus quam athletica. Hunc, cum bouem humeris ſuis geſtans ſtadium decurreret, non graui certamine occupatum fuiſſe clarum eſt; ſed nec hoc obſcurum, quod reliqua vita ἀθλητικώτατος fuerit.

a) *de gymnaſiis cap. V.*
b) *loco ſup. cit.*

§. XXII.

Forte autem in gratiam cum IOVBERTO redibimus, ſi ipſi demus, leuioribus exercitiis primo ſubactos eſſe, qui ad perfectionem athleticam aſpirarent, tantiſper donec cum tempore ad grauiora promo-

mouere liceret; intereaque operam dediſſe, vt, per debita momenta progreſſi, diætam ipſam penitus tolerarent, & ſic robur maioribus ferendis par acciperent: ille vero nobis concedat, quod prouectiores in arte, fouendis viribus & acquiſiti habitus conſeruandi gratia, ad leuiora ſubinde redierint, vincendique tandem ſtudio ea etiam, quæ in leuioribus his difficillima ſunt, obierint. Quod tamen non ita contendo, vt obtinere velim etiam quum de iis ſermo eſt, quos ſub Romano imperio, propter commiſſum aut obiectum crimen, ad gladiaturam vel pugilatum damnatos dixi: hos enim ſuſpicor non per totum orbem exercitationum gymnicarum, ſed, quam proxima fieri poterat, via, ad ſaginam & miſeræ artis perfectionem ductos fuiſſe, & vix alia habuiſſe laborum, quibus durarentur, genera, quam vt per omne tempus inter ſe rudibus, præmonſtrante laniſta, batuerent, aut ad palum exercerentur: ſed de iis potiſſimum, qui, apud Græcos Romanoſue, libera voluntate & gloriæ cupiditate adducti, celebrium certaminum victores euadere ſuſtinebant.

§. XXIII.

Ne autem ſine teſtimonio minorem fidem merear, duos pro me adferam ſententiam ferentes, quos credo illud plene euicturos, quod in hac tota re controuerſum eſt. Primus eſto integerrimus Philoſophus EPICTETVS, quem ARRIANVS a) inducit ita loquentem: Θέλω ὀλύμπια νικῆσαι. ἀλλὰ σκόπει τὰ καθηγούμενα καὶ τὰ ἀκόλουθα: *Vellem*, inquis, *Olympia victor citari; ſed conſidera quæ antecedant, quæ conſequantur.* Hæc vero dum enarrat, ſimul omnem diætam athletarum recenſet: quem locum integrum huc non transferam, quia commodius alio tempore proferetur. Alter iam audiendus eſt ATHENÆVS. b) Is: quum Milonis robur & voracitatem expoſuiſſet, ita ſubiicit: καὶ οὐδὲν παράδοξον τούτους τοὺς ἄνδρας ἀδδηφάγους γενέσθαι. ΠΑΝΤΕC γὰρ οἱ ἀθλοῦντες μετὰ τῶν γυμνασμάτων καὶ ἐσθίειν πολλὰ διδάσκονται. *Mirum non eſſe, hos homines multi cibi capaces fuiſſe; OMNES enim athletas cum exercitationibus ſimul etiam doceri multa edere.* Itaque confidenter adſerimus, certaminum diuerſitatem non illud efficere, vt idem vitæ genus non fuerit omnibus legitimis athletis, vt nec vitæ genus, corporiſque habitus, per ſe vllum prohibuit ab conſuetis exercitiis, quæ gymnicorum & palæſtricorum nomine vſpiam cenſentur.

a) *Diſſert. Epict. libr. III. cap. XV.*
b) *Dipnoſophiſt. lib. X. cap. II. p. 412. ed. Caſaub.*

§. XXIV.

§. XXIV.

GALENVS a) videtur omnem hunc ſcrupulum inieciſſe, idem igitur eximit attente conſideratus & recte intellectus: οἱ ἀθληταὶ τροφὰς μὲν οὖν (vulgo, ſed male legitur οὐκ) εὐχυμοτάτους λαμβάνουσιν, ἀλλὰ παχεῖς καὶ γλισχρούς, οἵ γε βαρεῖς αὐτῶν (ὀνομάζουσι δ᾽ οὕτω μάλιστα μὲν τοὺς παλαιστάς, ἤδη δὲ καὶ τοὺς παγκρατιαστάς τε καὶ πύκτας) δέονται τροφῆς δυσφθάρτου τε καὶ δυσδιαφορήτου, τοιαύτη δ᾽ ἐστὶν ἡ τῶν παχέων καὶ γλισχρῶν χυμῶν, ὁποῖα μάλιστά ἐστιν, ἥτε ἐκ τῶν χοιρείων κρέων καὶ τῶν, ὡς εἴρηται, σκευαστῶν ἄρτων, οὕσπερ οἱ νομίμως ἀθλοῦντες ἐσθίουσι μόνοι. *Athletæ cibos capiunt boni ſucci, ſed craſſi ac lenti, ſaltem ii, qui ex illis graues dicuntur* (attende hic primo vocari omnes athletas; hinc κατ᾽ ἐξοχὴν graues deſignari.) *i. e. præ reliquis palæſtrici, ſed, vt nunc loqui conſueuimus, etiam pugiles & pancratiaſtæ, opus habent cibo, qui nec facile corrumpatur, nec transſpiret. Tales autem ſunt, qui craſſum habent ſuccum, cuius generis, præ reliquis, ſunt carnes ſuillæ, & panes, ſupra expoſito modo confecti, quos* (cibos) *illi ſoli comedunt*, (nempe ad præſcriptum & ex neceſſitate) *qui leges athleticas ſtricte obſeruant.* Hi autem non ſunt alii, quam, in vniuerſum dicendo, qui ſe certaminibus ſacris præparabant, ex his vero præcipue, qui ab exigui momenti laboribus ad ſummos tranſierant, id eſt; palæſtritæ, pugiles, pancratiaſtæ, & hi omnes eo maxime tempore, quando ad τὴν ἀκμὴν τῆς ἀσκήσεως, vltimum præludiorum articulum, peruentum erat: quippe in ipſo loco habendi certaminis, per legitimum τοῦ προαγῶνος ſpacium, accuratiſſime viuendum erat. Illud enim νομίμως ἀθλεῖν non ad ipſum actum pro corona decertandi reſtringi debet, ſed, ex vſu Græciæ, ad omne, quam late id patuit, inſtitutum athleticum. Idem eſto etiam de gladiatoribus, & ſi quid aliud Roma Græcanico inſtituto adiunxit, ſenſus, idem iudicium.

a) *de aliment. facult. lib. I. cap. II.*

§. XXV.

Sed non leue dubium ſupereſt de circenſibus Romanorum certaminibus, vbi equis agitandis & aurigationibus occupabantur, vtrum his dediti athleticam quoque vitam vixerint? Equidem, ſi Græcorum mores reſpicio, rem, vt ſupra vidimus, inter curſus certamina apud athletas reperio: ſi Romanos adeo, eundem Commodum aurigando ſe exercentem inuenio & cum beſtiis luctantem (HERODIANVS notanter ſcribit: θηρίων ἐξ ἀντιστάσεως μάχας ἐπαιδεύετο) & gladiaturæ ita deditum, vt nemo ſupra poſſet: verum tamen,

quo

quo ſatis claro & omnem ancipitem curam ſubmouente teſtimonio confirmem, omnes illos aurigatores veterum circenſes diætam athleticam tenuiſſe & habitui ſtuduiſſe, fateor me nondum potuiſſe inquirendo aſſequi. OVIDIVS a) quidem, vbi Phaethontis fatum enarrat, ita fabulam explicat, vt non obſcurum ſit ſuſpicari, ipſum, pro poetarum more, ad ſui temporis aurigatores reſpexiſſe: de Phaethonte autem ſic canit:

Occupat ille leuem iuuenili corpore currum,
Statque ſuper, manibusque datas contingere habenas
Gaudet. - - - -
Sed leue pondus erat, nec quod cognoſcere poſſent
Solis equi, ſolitaque iugum grauitate carebat.

Grauitate autem corporis & non mediocri robore opus ſane erat, ſi quis quatuor generoſos equos, tot enim plerumque adhibebantur, leui & verſatili vehiculo iunctos, aut, quod in Iouis honorem factum legitur, ſeiugem; aut denique, quod Mithridates olim & Nero Claudius Olympiis inſtituit, decemiugem, ita vellet regere, vt, habenis per tergum circumdatis, totius corporis niſu, & manuum ope, ſic temperaretur curſus, quo flecti ad arbitrium ſiſtique poſſent. Enimuero de rei athleticæ conſtitutione ſatis videmur multum loquuti, & plus fortaſſe etiam, quam ferre omnes poterunt: pes tandem figendus eſt, vt ipſum nunc vitæ genus ſeu diætam athletarum conſideratius proponamus, & exinde ad habitum intelligendum progrediamur.

a) *Metam. II. v. 150. ſeqq.*

§. XXVI.

Diætæ vocabulum Græcum eſt, & medica acceptione ſignificat iuſtum regimen circa omnia illa, quibus tum ad conſeruationem corporis abſolute opus eſt, tum etiam ad ſtatum & habitum illius aliquem conſequendum indigemus. Adeoque hic latius aliquanto accipienda nobis vox eſt, vt præter illas res, quas non-naturales dicere ſolemus, & quibus omnibus opus eſt, ea etiam complectatur, quæ his tantum hominibus præ aliis commendata, & ſolemnia erant, qui ad habitum athleticum exercebantur conſequendum. Ita nobis etiam balnea, frictiones, vomitiones, & id genus alia artificialia, in hunc cenſum erunt referenda.

§. XXVII.

§. XXVII.

Vario autem modo circa diætam veteres occupati fuerunt, & eſt ſane hæc pars, quantum ratione conſequimur, omnium, in toto medicinæ ambitu, antiquiſſima. In vniuerſum autem conſtabat olim duabus ſpeciebus, pro totidem finibus, quos obtinere contendebant; aut enim replere corpora infirma & exſanguia conabantur, aut deplere & attenuare nimia mole obrutos. Athletas autem ad priorem finem ita contendiſſe, vt nemo magis poſſet, in propatulo eſt, nosque hanc ſolam, altera dimiſſa, ſpectaturos eſſe conſequitur.

§. XXIIX.

Quod dum conamur, per ſingula ire oportet, quæ vllo modo huc pertinent; faciemus autem initium a cibo & potu athletarum, quippe præcipuum, quod iis obiicitur, eſt inſignis voracitas in artis quaſi formam redacta. Si antiquiſſima tempora inſpicimus, quantum ſcilicet originem diætæ huius poſſumus proxime attingere, ſimpliciorem victum athletarum deprehendimus, forte etiam minus reprehendendum. Quæ enim in rebus humanis communis eſt calamitas, vt omnia potius in deterius ruant, quam in melius vergant: hic quoque accidit. Sed audiamus veterum idonea teſtimonia: Ita vero PLINIVS: a) *corpus & vires adiuuant ficus, ob id ante athletæ hoc cibo paſcebantur. Pythagoras exercitator primus ad carnes eos tranſtulit.* Plinio adſtipulatur DIOGENES LAERTIVS de Pythagora dicens: b) Λέγεται δὲ πρῶτος κρέασιν ἀσκῆσαι ἀθλητὰς, τῶν πρότερον ἰσχάσι ξηραῖς καὶ τυροῖς ὑγροῖς, ἀλλὰ καὶ πυροῖς σωμασκούντων αὐτούς. *Dicitur Pythagoras* (non Samius philoſophus ſed Phliaſius, quem ipſe inferius σωμασκητὴν ἀλείπτην vocat, Plinius exercitatorem) *primus ad carnes vorandas exercuiſſe athletas, quum priſci gymnaſtæ caricis ſiccis, & caſeo recenti, quin etiam tritico, eos educauerint.* In Olympiadum ſerie, ἀναγραφῇ τῶν ὀλυμπιάδων, quam IOS. SCALIGER cum Euſebianis edidit c) ad Olymp. XXVIII. ponitur Charmis Laco, ὃς σύκοις ξηροῖς ἤσκει *qui ficubus ſiccis exercitia tolerabat.* Quod mihi in memoriam reuocat, quæ PLVTARCHVS d) de Lacedæmoniorum conuiuiis frugalibus narrat, vbi præter farinam caſeus atque ficus præcipua leguntur. His addamus PAVSANIAM e) cuius teſtimonio Stymphalius Dromeus primus carnibus veſci cœpit, quum athletæ ante ipſum caſeo e fiſcellis veſcerentur τέως δὲ τοῖς ἀθληταῖς σιτία τυρὸν ἐκ ταλάρων εἶναι. Adeoque antiquiſſimorum athletarum ſimplicem victum

videmus ex caricis, caſeo recenti & tritico. Siue autem Pythagoras ſiue Dromeus primus immutarit illum; noſtra parum refert.

a) *Hiſt. Natur. lib. 23. c. 7.*
b) *Libro VIII. p. m. 575. edit. H. Steph.*
c) *pag. m. 216. edit. Commelin. 1606.* Hanc ſeriem deſcriptam AFRICANO tribuit GVIL. LLOYD in ſua *ſerie Chronologica Olympiadum* cet. *Oxoniae* 1700 edita.
d) *in vita Lycurgi p. 46.*
e) *Eliacor. poſt. c. VII. ſub finem.*

§. XXIX.

Illud potius iuuabit, paullulum conſiderare ea, quae primis athletis ad molem corporis ſuffecerunt. Initium faciamus a ficuum ſeu caricarum examine, quarum vſum & in alimentis hominum & in cibo animalium multis verbis proſequitur laudatus PLINIVS. Non autem multis inquiremus, an hominibus earum virtus alendi & ſaginandi per ſe innotuerit, an vero ab animalibus eam didicerint; illud conſtat, hominum & brutorum vſibus inſignibus inde ab immemorabili tempore, inſeruiiſſe. GALENVS, a) quo volumine alimentorum facultates enarrat, ita de ficubus: *Quum omnes*, inquit, *auctumnales fructus exiguum corpori praebeant alimentum, id omnium minime ficubus vſu venit*: & quando, non multis interiectis, de vuis ſermonem inſtituit, ficuum memoriam reuocat, & vtrumque fructum nutriendi quidem facultate coniungit, ſic tamen, vt primas ficubus tribuat. *Quod*, inquit, *nutriant, maximo argumento ſunt ii, qui vinearum fructum cuſtodiunt, qui, cum duos menſes ſolis vuis ac ficubus, quorum cuſtodiae praeſunt, veſcantur, niſi forte panis quippiam cum illis addant, corpulenti tamen admodum fiunt.*

a) *de aliment. facult. lib. II. cap. VII. & VIII.*

§. XXX.

Non autem ſolum homini praeſtant hunc vſum, ſed animalia etiam eundem experiuntur. Italicae deliciae ſunt ficedulae, ab ficuum eſu nomen adeptae, hodie *beccafigi* vocant, quas eo maxime tempore in dapes expetunt, quando, maturis ficubus & vuis multum ingurgitatis, pinguiſſimae ſunt redditae. Horum forte exemplo didicerunt veteres in domeſticis etiam animalibus hanc ſaginam adhibere.

re. Et feliciter ſane res ceſſit in anſeribus & porcellis, quibus in cibum datæ caricæ, tantopere veteribus expetita iecora, ſtupendæ magnitudinis, non poſtremas delicatiorum dapes, progenerarunt. De anſeribus PLINIVS: a) *Noſtri eos iecoris bonitate nouere. Fartilibus in magnam amplitudinem excreſcit, exemptum quoque lacte mulſo augetur. Nec ſine cauſa in quæſtione eſt, quis primus tantum bonum inuenerit.* Nos vero tanti boni inuentorem non quærimus, ſed vnde conſtet, ficubus eos eſſe ſaginatos? Docet illud HORATIVS FLACCVS: b)

Pinguibus & ficis paſtum iecur anſeris albi.

Iecinorum autem horum magnitudinem MARTIALIS c) admiratus ita loquitur:

Adſpice quam tumeat magno iecur anſere maius
Miratus dices, hoc, rogo, creuit vbi?

Quo vero pretio olim ſit habitum, *Iuuenalis* c) docet, quando hominem ſordidum ſimul & ſumtuoſum reprehendit, qui in cœnam vocatis ſodalibus viliora deſtinarat, quum eſſet

Anſeris ante ipſum magni iecur, anſeribus par,
Altilis,

a) *H. N. lib. X. cap. XXII.*
b) *Serm. II. Sat. 8.*
c) *Libr. XIII. epigr. 58.*
d) *Satir. V, 114.*

§. XXXI.

Sed de porcis etiam dictum eſt, quod honos habitus eorum iecoribus ſit. De his PLINIVS: a) *adhibetur & ars iecori feminarum, ſicut anſerum. Inuentum M. Apicii, fico arida ſaginatis ac ſatie, necatis repente mulſi potu dato.* APICIVS COELIVS b) auctor eſt ſycotum ſeu ficatum, inter delicatiſſimas epulas habitum, eſſe iecur ſuis fico ſaginatæ. Cum *Apicio* plane conſentit GALENVS c) qui nec a laude ficati abſtinet, nec diſſimulat, hoc maxime fieri in ſuibus. Non autem de ſolo ſuis hepate id nomen eſſe acceptum, ſed aliis quoque attributum, CL. SALMASIVS d) nos docet, cum Græcorum exemplo, apud quos poſteriori æuo omne hepar συκωτὸν vocabatur, adeo vt aloen, quam priſci ἡπατίζουσαν dixerant, optimam deſignaturi, po-

ſteriores συκωτὸν vocarent: (quod cum ignorarent recentiores quidam, Succotrinam, ab inſula Sucotra appellatam, contenderunt, immo diuerſam ab hepatica ſpeciem commenti ſunt); tum etiam Gallorum ſuorum, quibus *foye* hepar dicitur, quod a ficato eſſe credidit. Itali etiam ex eadem ratione hepar hodie *fegato* appellant. Quare autem iecinora his animalibus in tantam excreſcant molem; inferius dicendi locus commodior forte recurret.

a) *Libr. VIII. cap.* 51. vbi de M. Apicio videnda eſt annotatio IO. HARDVINI. Vixit is Tiberii principatu, gulæ ſtudio famoſiſſimus.

b) *de arte coquinar. l. VII. c.* 3. vbi non tam ipſe Apicius, quam docti viri ad ipſum illud docent.

c) *de alim. fac. III. cap.* 12.

d) *Plinian. Exercitat. in Solini Polyhiſt. pag.* 743.

§. XXXII.

Videndum iam eſt de caſeo, quem inter cibos athletarum non immerito relatum eſſe, multa mihi perſuadent. Prius autem videndum eſt, quale concretum priſci homines caſeum dixerint. Quo enim in noſtris regionibus modo caſeum conficimus, vt lactis pinguitudinem ſeu florem primo demamus, & deinde illud coagulum, quod ſubeſt, in caſeum, expreſſa vel ſenſim effluxa humiditate, & exſiccatione moderata præparemus: ille prorſus antiquis temporibus, forte etiam hodie, in Græcia & Italia incognitus, ac merum fortaſſe Germanorum eſt inuentum, de quo pluribus & erudite, pro ſuo more, alicubi diſputauit HERMANNVS CONRINGIVS. a) De Græcanico caſeo dicere non poſſum, quæ enim apud *Galenum* lego, in dubium reuocari poſſe videntur, vtrum ad Romanum potius an ad Græcum morem, illa ſcribens, reſpexerit; puto tamen eius parandi rationem parum ab Italica, quam breuibus attingam, eſſe diuerſam. Hi nempe non exſpectabant floris a craſſiori parte ſeparationem, quo non indigebant, quum butyri in cibis vſum ſero tandem a Germanis quidem didicerint fama, vix tamen in vſum, etiam hodie, admittant, quoniam de oleo præſtantiſſimo ipſis abunde proſpectum eſt: ſed lac, coagulo quodam adhibito, condenſabant, ſicque cum pingui & butyroſa parte ſimul in caſeum, premendo

do ſiccandoque, redigebant, quæ ratio apud Friſios, Batauos, Helnetios & Rhætos hodieque obtinet.

a) *de hab. corp. Germ. cauſſ. p. 73.*

§. XXXIII.

Eius generis caſeus, recens preſſus, intelligitur in cibo athletarum fuiſſe, quod adiectæ voces declarant apud *Diog.* quidem *Laertium* ὑγροῖς, apud *Pauſaniam* vero ἐκ ταλάρων, quod, vt KVHNIVS in notis admonet, caſeum recentem ſignificat, τάλαρος enim, vt a Polluce in Onomaſtico redditur, eſt ἀγγεῖον, ἐν ᾧ ὁ χλωρὸς τυρὸς ἐμπήγνυται, vaſculum, in quo caſeus recens premitur. Illi autem vim ineſſe magnopere alendi, vel ex lactis indole colligitur, quo præſtantius alendo animali nihil natura excogitare potuit, quippe lac plane ἀδελφὸν καὶ συγγενὲς ſanguini eſt nutrimentum, & in illum facillime tranſit. Quod cum maioribus noſtris inter præcipua alimenta olim fuerit, hodieque in Heluetia multis vnicum fere ſit alimentum: quid mirum, magnitudine & robore hinc admirabiles fuiſſe? De hoc autem plura volens adeat magnum CONRINGIVM, pulcherrimo libro, quem *de habitus corporum Germanicorum cauſis in publicum* edidit. Verum hic nobis dubium haud leue ſane iniicit magnus HIPPOCRATES, a) qui de caſeo minus, quam nos, præclare ſentire videtur: τυρὸς, inquit, φῦσαν ἐμποιέει, καὶ στεγνότητα, καὶ σιτίων ἔξαψιν ποιήσει, τό τε ὠμὸν καὶ ἄπεπτον. Sed ſaluus eſt caſeus per commentatorem *Galenum*, qui has accuſationes in veterem reſtringit, recentem vero mitiorem declarat. Ne vero dubitemus de conſtanti ſententia, eadem in libro repetit, quem de alimentorum facultatibus conſcripſit. b)

a) *de victu acut.* §. 49. *& Galen. comment. in h. l.*
b) *de aliment. facult. lib. III. c.* 17.

§. XXXIV.

Venimus ad tertium, quod in cibis athletarum priorum refertur, nempe triticum. Non quidem adiectum illo loco eſt, qua ratione in alimentum illis hominibus ceſſerit; non tamen putandum, crudo illo & tantum aqua elixo cum ſale eſſe veſci ſolitos, quamuis hoc cibi genus non incognitum veteribus fuit, quod ex GALENO a) qui eius ipſe experimentum ceperat, accuſante & improbante licet cognoſcere: ſed potius putarim, quando nudum nomen hic ponitur,

nitur, ex eo paratorum panum communiſſimam ſpeciem eſſe intelligendam, quam frequenter antiqui nominant, optime autem omnium exponit GALENVS. b) Ea vero eſt illa panum ex tritico confectorum ſpecies quam dicebant *αὐτοπύρους*, quod *ὅλος αὐτὸς ὁ πυρὸς*, id eſt totum ipſum triticum, nulla parte eius demta, in panificium cedat. Medici veteres ipſos vocarunt *συγκομιστοὺς*, quod ad ipſos conficiendos tota farina, nuſquam a furfure ſeiuncta, *συγκομίζεται*, confertur, fermento modico ſubigenda & in fornace mediocriter percoquenda. Talem enim ſpeciem pro athletis antiqui maxime probabant, quod optimum quidem, ſed craſſiorem ſuccum præbere credebatur. In triticeo vero hoc pane fermentum & furfures optimo conſilio addi, intelligas ex iis, quæ SIMON PAVLLI c) de panibus in vniuerſum docet, & quæ ſingulari *programmate de pane Weſtphalorum groſſiori*, ſcripſit illuſtris FRID. HOFFMANNVS, præceptor vereque patronus immortali gratia demerendus. Sed de pane athletarum iterum dicendi occurret locus.

a) *de aliment. facult. lib. I. c. 7.*
b) *de aliment. fucult. lib. I. cap. 2.*
c) *Quadrip. Botanic. pag.* 537.

§. XXXV.

Vidimus ſimpliciſſimum victum eorum, qui primi ad habitum athleticum exercebantur. In quo, puto equidem, illud quibusdam videbitur reprehendendum, quod dulcibus, vt caricæ ſunt, vehementer nutriendi facultas fuerit tributa, quum nulla ſit dulcibus, vtpote ſal ſui generis habentibus, qui in cryſtallos abit & in aqua facile ſoluitur, cum textura chyli noſtri conuenientia. Enimuero, vtut rectiſſime hæc præcipiuntur, caricis tamen, vuis, dactylis & id genus aliis, in quibus admodum moderata dulcedo hæc glutinoſis ſuccis immerſa, & coniuncta eſt, parum obſunt, præſertim quum aliis, in cibo adiunctis, magis obtundatur hæc acrimonia dulcis ſalina, præcipue autem caſeo molli, ad lactis indolem proxime accedenti. Quin etiam dulcedo talis, guſtui obuia, non excludenda abſolute a corporis noſtri laudabili nutrimento videtur; quum per artem videamus ex lacte ſaccharo ſimile concretum parari, cui propterea ſacchari lactis nomen in quibuſdam officinis tribuitur. a) Ipſum quoque ſaccharum, ſi recte vtaris, non eſt corpori inimicum, & ſanguinis noſtri indolem aliquam habet, quia igni admotum, non

aliter

aliter quam ſanguis exſiccatus, ardet. Quod quidem BECCHEIR b) argumentum non penitus meum faciam; videatur ipſe, qua ratione ſaccharum commendet, tamquam naturæ commodiſſimum, & alimentum ſanguini conueniens.

a) de quo exſtat D. D. FICKII diſſertatio, Ienæ ante annos habita.
b) *Pſychoſoph. p.* 251.

§. XXXVI.

Antequam ad recentiorum athletarum tranſeamus victum, aliqua ſunt, quæ conſiderationem noſtram mereri videntur. Et primo quidem diſpiciendum nobis eſt, ſit ne hæc illa athletarum ξηροφαγία, quam auctores nobis commemorant. Equidem fateor, ſtudioſe multumque inquirendo de vi huius vocis, & rei ſignificatæ vera conditione, nuſquam expiſcari me potuiſſe, quod implicatam huius vocis notionem plene potuerit euoluere & ad noſtros athletas accommodare. Nullam aut *Hippocrates* aut *Galenus*, quod mihi quidem conſtet, lucem hic adfert, nec adeo vel *Foeſius* vel *Gorræus* conſulti reſpondere potuerunt. Lexicographi, quorum maxime mihi hic placuit ROB. CONSTANTINVS, ipſe ſcilicet profeſſione medicus, ξηροφαγεῖν, exponunt, vt duplicem ſenſum habeat, & non minus arida & ſicca epulari, quam comedere, quæ ſiccandi vim habeant, deſignet. TERTVLLIANVS a) autem laudatur auctor huius vocis, qui idem Latine *aridam ſaginationem* alio loco expoſuit, agens vtique de athletis: *ſaginentur*, inquit, *pugiles & pyctæ Olympici: illis ambitio corporis competit, quibus & vires neceſſariæ, & tamen illi quoque xerophagiis inualeſcunt.* Quem locum PETRVS FABER b) de eo exponit, quod coliphio & carnibus aſſis paſti fuerint, non vero elixis. Quid autem vetat, ſi de alimentorum tantum genere ſermo eſt, hanc antiquiſſimam ſaginationem ſiccæ nomine potiſſimum intelligere?

a) *libr. adu. pſychicos p. m.* 529.
b) *libr. III. cap.* 3.

§. XXXVII.

Maxime autem xerophagia celebrari inter Chriſtianos cœpit adeoque poſteriori potiſſimum æuo innotuit res cum nomine, & ad nos nihil proprie pertinet. Videatur de hac re SVICERVS in *theſ. eccleſiaſt.* vocibus ξηροφαγεῖν, ξηροφαγία. In vniuerſum illud notandum,

a gymnaſtica paganorum vita, ad aſceticam Chriſtianorum, multa vocabula & dicendi modos eſſe translatos, in quibus caueri debet, ne quid in alterutram partem confundamus. Quid vero Chriſtianorum ritu xerophagia fuerit, porro expoſitum videas in B. CHRISTOPH. CELLARII *theſauro Fabri*, tertiis curis recognito. Nimirum prorſus aduerſatur noſtrorum athletarum inſtituto, qui impleri quam maxime quærebant, quum Chriſtianis deſignet aliquam abſtinentiæ ſpeciem, qua ſperabant id obtinere, vt ne nimium ſaginatus venter animo officeret, aut, vt dulciſſimi poetæ a) Chriſtiani verbis loquar:

Aruina putrem ne reſudans crapulam
Obſtrangulatæ mentis ingenium premat.

Quod autem *Saubertus*, quem illo loco citat, Xerophagiam athletarum ita exponit, quaſi eas animalium partes ſelegerint, quæ ſiccæ eſſent, vt pedes bubulos, non quæ ſucci plenæ & pingues; nulla auctoritate puto poſſe probari de veteribus gentilium athletis: quod autem addit, carnibus & pulpis veſci ſolitos eſſe atque condimentis & iuſculis, prorſus (niſi de carne aſſa) veritati rei repugnat, & puto excidiſſe ibi in deſcribendo negandi particulam. b) In Chriſtianorum vero aſcetas quoſdam quadrare priora hæc facilius admitto; quia memini alicubi c) me legere, in Hiſpania, mediterraneis præſertim locis, vbi piſcium eſt inopia, diebus illis, quibus a carnibus abſtinentia, Romanæ eccleſiæ decretis, iniuncta eſt, antiquo ritu in cibum venire animalium capita, pedes & viſcera, quoniam hæ partes minus nutrire putantur, adeoque a IOANNE CARAMVELE piſcium moralium nomine fuerunt inſignitæ.

a) PRVDENTII *Cathemerin. VI. v.* 9. 10.
b) P. ANTONII ZVCCHELLI *deſcriptio itineris, in Congo Aethiopum ſuſcepti. relat. III.* §. 4.
c) correctus eſt error in recentiori editione, cura CL. GESNERI. A. 1735. procurata, vbi legitur: *abſque condimentis & iuſculis.*

§. XXXIIX.

Deinde circumſpiciendum etiam de potu eſſet. Nullibi autem memini me legere, qualis ille antiquiſſimis fuerit, nec ſatis de recentioribus illud conſtat: quare, quantum eius inueſtigando ſcire licuit, ad iſtum locum omne reſeruamus, quo ordine de illo ſermo

erit

erit inſtituendus. Ante vero quam ad eos progrediamur, quærere liceat, quare antiquum morem deſeruerint athletæ & ad alium victum proſiluerint. Rationem videor ex GALENO haurire, quem audiemus. Is vero, quum, loco ſuperius adducto, de ficubus, quod copioſe nutriant, docuiſſet, mox ſubdit: *carnem tamen non compactam neque firmam generant, ceu panis & ſuilla, ſed ſublaxam ac ſubinanem, vt fabæ.* οὐ μὴν ἐσφιγμένην καὶ στερεὰν ἀλλὰ ὑπόσομφον. Quum vero hi homines quam firmiſſimam deſiderarent, ratio facile patet, quare ad ea tranſierint, quæ talem poſſent producere.

§. XXXVIIII.

Progredimur ad diætam recentiorem, quæ, ſiue medice rem æſtimes, ſiue ad regulas chriſtianæ pietatis & ſanæ rationis rem exigas, priori, quam recenſuimus, longe deterior reprehenditur. Sed conſiderabimus prius ea, quæ in cibum expetierint, tum quoque videbimus, quo modo, qua menſura, quibusque legibus. Antea dictum, quis ad carnes athletas traduxerit. Ceteri itaque, quos ſimile ſtudium tenebat, illum videntur imitati, in carnium eſum, vnanimi conſenſu, iuiſſe. Vtrum vero priorem prorſus reliquerint victum, an potius carnium eſum prioribus adiunxerint, non auſim dicere; puto tamen, eos retinuiſſe priora & addidiſſe carnium voracitatem. In vniuerſum illud æſtimantibus nobis, non credo aliquem vitio daturum, ſi aſſeramus, prudenter eos in hoc feciſſe, quod ad eum, quem intendebant finem, carnes adſumſerint. Etenim illud extra controuerſiam puto eſſe poſitum, carnes ad nutriendum humana corpora multo eſſe aptiores, quam quæuis alia, quæ ex vegetabilibus aliquis in cibum expetat. Ea enim eſt partium, ex animalibus ſumtarum, conditio, vt longe elaboratiorem dent ſuccum & illam naturam iam indeptum, quæ noſtræ eſt proxima: quum vegetabila longe ſint crudiora & terreſtribus, ac chylo prorſus ineptis, pluribus ſociata. Hanc rationem intuitus HERMANNVS CONRINGIVS a) inter præcipuas cauſas proceritatis in proauis noſtris, etiam hanc retulit, quod multis carnibus vſi in cibo fuerint.

a) *de habitus corpor. Germ. cauſis* §. 46.

§. XXXX.

Inter carnes autem eas tantum ſeligebant, quas vſus maxime probaret eſſe nutriendo aptiſſimas. Pauci memorantur alia, quam

 ſuilla,

ſuilla, veſci ſoliti, quos primos attingemus. ATHENÆVS a) igitur Thebani alicuius mentionem facit, qui caprarum carne veſcebatur, idque de eo confirmat, quod robore omnibus fuerit ſuperior, ſed nidorem de ſe talem ſparſerit, hircum redolentem, vt ceteris fuerit omnibus abominabilis. Milonem etiam Crotoniatam bubulam in cibum ſumſiſſe, ſed abſoluto iam certamine, & victoriam adeptum, ſuperius dictum eſt.

a) *Deipnoſoph. lib. X. c. 11. p. 413. ſeqq.*

§. XLI.

Vtraque caro veteribus male audit. HIPPOCRATES a) de bubulis carnibus grauiter pronunciat: ἀνυπέρβλητος ἡ φύσις βοείων κρεῶν καὶ οὐ τῆς τυχούσης κοιλίης καταπέψαι. *inſuperabilis ſunt naturæ & non eſt cuiuſuis ventriculi eas concoquere.* Idem pro caprinis fere moleſtius pronunciat. Αἴγεια δὲ κρέα ξυμφορώτερα, πλὴν ὅσα τε βοείοισιν ἔνι κακὰ, πάντα ἔχει: *Peiores ſunt caprarum carnes, quin illas noxas, quæ in bubulis ſunt, omnes etiam inferunt.* Has autem omnes ordine recenſet, nec opus eſt huc tranſcribere. Nolumus autem tanti doctoris accuratius examinare ſententiam, aut codicum, hac eadem pagina mirum in modum a ſe variorum, fidem labefactare: forte tamen minus concoquetur, quod de bubula audentius pronunciauit, & ex hoc carnium genere eas maxime probauit, quæ ſunt ὡς παλαιότατα, *quam vetuſtiſſimæ.*

a) *de victu acut.* §. 60. *p.* 317.

§. XLII.

Nec prorſus negligenda videtur fœtoris in Thebano athleta ratio. Longe minus enim medico, circa ea occupato, quæ corpori humano accidunt, turpe eſt lucro ſcientiæ & artis ex re vili & contemta inhiare, quam Romano Imperatori fuit, ex obſcœno liquore hominum, opes & aurum corradere. Dubium autem non eſt illud, quod oluit, virus, ex cutis perſpiraculis prorupiſſe, quando effluentibus ex corpore tenuioribus partibus homini incumbens aer perfuſus eſt. Incredibilem autem copiam humoris in tam ſubtiles partes, vt ſenſum effugere fere ſoleant, attenuati, continuo exſpirare, nolo ex *Sanctorio* repetere. Illud tantum dicam, non meram eſſe humiditatem, ſed in tanta ſubtilitate ſua etiam particulis imbutam, quæ ſanguinis noſtri qualitates quaſdam ſenſibus imprimere poſſint. Canes, quos natura nobis ſagaciores in hac parte fecit & olfactu teneriori

riori præditos, dum heri longe abſentis perſonam requirunt, aut feram, in quam mittuntur, inueſtigant, hoc præcipue feruntur duce & indice. Hoc, vt perpetuum eſſe dicas, illud tamen ſingulare eſt, a certis adſumtis mirum mutari & augeri illam exſpirationem, vt odore manifeſtius deprehendi poſſit. Qui enim allium, radiculas aut cepas comederunt, diſſimulare factum ſuum nequeunt, ſi maxime velint, præſertim cum motus paullo vehementior, aliquot ab cibi tempore horis, ſanguinem in celeriorem curſum concitauerit. Non enim ſolum ex pulmonibus rediens ſpiritus aſſumta olet; (ſi maxime os eluerint & nihil eructauerint) ſed ſudor, qui toto corpore erumpit, eodem nidore induſia complet, & vrina manifeſto odore illo nares ferit. Idem accidit forte pleriſque carne veruecina paſtis. In vaccarum etiam lacte, & ex hoc confecto butyro, guſtus deprehendere valet, ſi forte illis inter pabula pratis non infrequens allium obtigerit. Ex quo id mihi quidem videtur conſequi, illos ſuccos, quos natura ſoluendis digerendisque cibis in ventriculo, duodeno, aliisque inteſtinis affundit, etiam in ſaniſſimis, ita non valere, vt omni manifeſta qualitate, quam extra corpus habebant, omnia in corpus aſſumta, priuare poſſint & exuere, ſed aliqua omnino dari, quæ illorum vim in hac parte eludant, & ſuas qualitates in ipſum chylum & ſanguinem tranſmittant.

§. XLIII.

Sed in viam e leui diuerticulo redeamus, & ſuillam carnem, athletis quaſi proprium alimentum, expendamus. a) GALENVS, vbi tertium de facultatibus alimentorum orditur librum, ita infit: *Carnes, quum probe concoctæ fuerint, optimum gignunt ſanguinem, & potiſſimum ſi animalium boni ſucci fuerint, cuiuſmodi eſt ſuum genus. Omnium itaque ciborum ſuum caro potentiſſime nutrit: cuius rei athletæ certiſſimum tibi præbent indicium. Si enim, paribus exercitationibus, parem molem alterius cibi diem vnam comederint, poſtero die ſtatim ſentient ſeſe redditos imbecilliores. Quod ſi pluribus deinceps diebus id fecerint, non imbecilliores modo, verum etiam alimenti penuria macilentiores palam conſpiciuntur. Idem etiam de eo, quod dicimus, potes in pueris, qui in palæſtra ſeſe exercent, experiri, & in aliis, qui quamlibet actionem fortem ac vehementem, cuiuſmodi eſt fodientium, obeunt.* Pluribus Galeni adducendis locis abſtineo, ſed conſenſum HIPPOCRATIS, b) liceat adiungere. *Porcinæ*, inquit, *carnes* (χοίρεα) *prauæ ſunt, quum fuerint crudæ aut ambuſtæ:*

ſuillæ autem (ὕεια) *ſunt optimæ omnium carnium, ſed præſtant ex his, quæ non vehementer pingues ſunt.* Vbi primo paulliſper immorari liceat verbis. Turbant enim hic codices & LINDENIVS nobis legendum exhibet ὄϊεια, quod ouillas deſignat, quamuis verſio, (vt ſollemne eſt in hac editione a verbis Græcis diſcrepare Latina) ſuillam exhibeat. Siue igitur mendum ſit, ſiue corrigere hic aliquid editor voluerit; GALENO teſte, nihil hic mutandum ſtatuo: nam χοῖρον ἐξαιρέτως ὠνόμαζον οἱ παλαιοὶ τὸν μικρὸν λίαν, τοὺς σύαλους, τοὺς ὑπὲρ τοὺς τελείους ὠνόμαζον. Χοῖρον *veteres maxime vocabant admodum paruulum porcum, qui vero perfectam ætatem ſuperaſſent,* σύαλοι *vocabantur;* relinquitur igitur vt ὕες, quorum caro laudatur, ſint, qui in medio conſiſterent neque ætatem veteris victimæ haberent.

a) multa de carne ſuilla erudite diſputata legi poſſunt apud PETR. CASTELLANVM, *de creophagia. libro II.* per plura capita, præcipue autem V.

b) *de victu acut.* §. 60.

§. XLIV.

De modo vtendi etiam dicendum eſt. Athletæ autem non adhibebant facile has carnes elixas, verum aſſis adſueuerant. a) Rationem, qua inducti aſſa elixis prætulerint, reddit GALENVS b) ὅσα μὲν γὰρ ὀπτῶντες ἢ τηγανίζοντες ἐσθίουσι, ξηροτέραν τροφὴν διδόασι τῷ σώματι: *aſſata aut in ſartagine frixa ſiccius dant corpori alimentum*, de iis autem, quæ in aqua decoquuntur, humidius ſibi alimentum promittebant.

a) *Petr. Faber agon. lib. III. cap. III.*

b) *de alim. facult. tertio ineunte.*

§. XLV.

Si omnem antiquitatem excutias, inuenies ſane, aſſatis maiorem ſemper habitum fuiſſe honorem, quam elixis. HOMERVS heroum epulas deſcribens, aſſis eas inſtruit. Germanos noſtros aſſatis carnibus frequentiſſime ſe ſaturaſſe CONRINGIVS a) addocet. Ratio non ſolum ex eo petitur, quod faciliori apparatu poſſint in vſum confici: ſed medice etiam nobis rem conſiderantibus, apparet, longiori coctione, præcipuam vim nutriendi in aquam, coquendo adhibendam, ex carnibus, præſertim in fruſta minutiora conciſis, tranſire debere, vtpote partes mucilaginoſo-pingues facile in

illam migrant, remanente vt plurimum fere effoeta, aut minus ſaltem nutriendo apta. Quod videmus, vbi aqua, inter elixandum adhibita, refrigeſcit; facile enim gelatinoſam conſiſtentiam induit. Sed ſecus fit, vbi aſſantur carnes: remanet ibi gelatinoſa pars interius concluſa, & paucum illud, quod exſtillat, ſanioſum, in pulcherrimam concreſcit gelatinam, alendo corpori, ſi quicquam aliud, idoneam. Quare iis, qui maxime nutriens alimentum ſub minima mole expetunt, apparet commodiſſimum eſſe aſſis vti carnibus.

a) *de habitus corp. Germ. cauſ.* §. 46.

§. XLVI.

Verum athletæ in eo ſingularem coenam habebant, quod coacti, tum alia, tum carnes, & ad certam menſuram, quantam ſcilicet quisque capere poſſet maximam, deuorare debuerint. Et hæc eſt notiſſima illa ἀναγκοφαγία, quam gymnaſtæ ſeu epiſtatæ imperabant, & vnicuique præſcribebant. De ea EPICTETVM, ſuperius citatum, porro audiamus loquentem: θέλεις ὀλύμπια νικῆσαι; δεῖ σε εὐτακτεῖν, ἀναγκοτροφεῖν, ἀπέχεσθαι πεμμάτων, ἁπλῶς, ὡς ἰατρῷ παραδεδωκέναι σεαυτὸν τῷ ἐπιστάτῃ. *Vis olympia vincere? - debes ſtrictum ordinem obſeruare, coactus edere, abſtinere coctis eduliis - teque ſimpliciter magiſtro, tamquam medico, tradere.* Sed GALENVS a) pluribus locis clariſſime hæc indicat. Οἱ ἀθληταὶ, inquit, τροφὰς προσφέρονται σὺν ἀνάγκῃ, πολλάκις ἄχρι μέσων νυκτῶν ἐκτείνοντες τὴν ἐδωδήν. *Athletæ coguntur edere, & ſæpe in medias noctes coenam protrahunt.* Paullo poſt ſuibus proinde ſimiles pronunciat tam miſeros homines, aut ſuibus in hoc multo peiores, quoniam hæc bruta nemo ad nimios labores, nemo ad nimium deuorandum compellit. Ne quis autem rem nimis recentem putet, antiquiora afferemus duo teſtimonia. Audiatur itaque HIPPOCRATES aut POLYBVS, quisquis eorum eſt vetus auctor libri *de ſalubri diæta*, vbi hæc verba legimus: ὁκόταν ἀναγκάζηται ὁ ἄνθρωπος κρεηφαγεῖν, quo loco commentator GALENVS innuit, athletas hic eſſe intelligendos. ARISTOTELES ſimiliter in politicis libris τὴν βίαιον τροφὴν καὶ τοὺς πρὸς ἀνάγκην πόνους, itemque τοὺς πόνους καὶ τὴν ἀναγκοφαγίαν (quæ duo fere ſemper coniungi ab auctoribus ſolent,) commemorat, & de iis diſputat, vtrum & quando pueri in gymnaſia ad hæc traduci debeant. Pluribus teſtimoniis opus non eſſe arbitror, plena enim eorum ſunt omnia veterum monumenta, vt non facile lector in his verſatus ea ignorare poſſit.

a) *Suaſoria ad artes oratione.*

§. XLVII.

Enarrauimus potiſſima, quæ in alimentis athletarum expetebantur. Equidem nullus dubito, pauca his quædam ex iis, quibus antiqui tribuebant ſiccandi facultatem, forte adiecta fuiſſe; ſed clara me deſtituunt veterum teſtimonia, ſine quibus loqui in re, quæ hiſtoriarum fidem ſupponit, nefas exiſtimo. Sed redit in memoriam, abruptum ſuperius fuiſſe de pane ſermonem, quem heic pertexere iuuabit. Nimirum recentioribus ſcriptoribus Latinis non adeo rara eſt mentio coliphiorum; a Græcis, quod ego ſciam, nullibi commemorantur, quum tot aliæ panis ſpecies ab Hippocrate & Galeno celebrentur ſuis nominibus. Hanc vocem docti viri Græcæ originis putarunt, ab κῶλον, *membrum* & ἶφι, *robur* deriuatam; ſed magnopere vereor, ne iis acciderit, quod etymologis in infinitis fere ſolet, vt veroſimile confectati ſint, verum non attigerint. Ego mihi vix perſuadeo Græcam eſſe vocem, quum præter PLAVTVM, MARTIALEM ac IVVENALEM, alios non reperiam, qui ea ſint vſi. Quicquid ſit de origine eius; nec illud ſatis conſtat, an vox hæc panem ſolum ſignificet athletarum, an integrum eorum victum, aut determinatam victus portionem. Auget & fouet hoc dubium PETRVS FABER, a) qui ita, quamuis præter fere morem ſuum, ſine auctore ſcripſit: *Pythagoras* (de quo ſupra) *panes ἀζύμους & aſſas carnes comedere athletas docuit, quæ coliphia vocabantur.*

a) *agoniſt. libr. III. cap.* 3.

§. XLIIX.

Sed eſto de coliphiis iam ſatis, quia certum de eis afferre quicquam nequimus. An vero illud recte dicit magnus vir, in cibo athletarum fuiſſe panes ἀζύμους? Equidem pernego, quum GALENVS, a) harum rerum, ſi quis alius, inprimis gnarus, aliud me doceat. De panibus quidem ſine fermento ita exponit, vt intelligas eſſe illos ſic confectos, vt aliquid caſei adderetur. Ruſticos autem feſtis diebus ſolitos fuiſſe eos apparare. Si bonitatem ſcire deſideras, ita illos commendat: *eiuſmodi panibus promte omnes læduntur, etiam ſi qui fortiſſimo ſunt corporis habitu, cuiuſmodi ſunt meſſorum ac foſſorum robuſtiſſimi.* Eodem loco athletarum panem ſic nobis tradit: *panum is athletæ quidem eſt accommodus, qui neque belliſſime eſt aſſatus, neque multum habet fermenti; priuato autem & ſeni, qui belliſſime quidem in clibano eſt*

aſſatus;

aſſatus, fermenti autem habet multum. Ita quidem de fermento, at modico, obtinebimus: ſed nunc Hippocrati Galenus erit contrarius. Ille enim, *de ſalubri diæta* libello, vbi in eos incidit, qui in gymnaſiis exercentur, ita ſcribit: ἔστω τούτοισι τὰ σιτία ἄρτος ὡς ἐξοπτότατος ἐν οἴνῳ ἐντεθρυμμένος. *Sint his cibi, panis quam belliſſime aſſatus*, cet. Sed conſtat de eorum pace, ſi animaduertamus, illo loco ſermonem Hippocrati eſſe de athleta minus bene affecto, aluique profluuiis correpto. Id vero haud infrequenter accidiſſe τοῖς ἀναγκοφαγοῦσι diſcimus ex illo fragmento Hippocratici libri *de purgatoriis remediis*, quod IO. HEVRNIVS edidit, & a quibuſdam particula libri *de elleboriſmo* deperditi habetur: quo hæc legimus: *qui cibis exceſſiue implentur, purgantur hinc, veluti a meris pharmacis, quanquam aliquanto minus vehementer & præcipitanter.*

a) *de alim. facult. lib. I. cap. 2.*

§. XLIX.

Ne quis vero miretur, cur in fermenti additione & coctione tam curioſos ſe præbuerint priſcæ medicinæ antiſtites, audiamus HIPPOCRATEM a) cauſam hanc exponentem: ἄρτων τῶν ἄρτων, ὁ μὲν ζυμίτης κοῦφος καὶ διαχωρέει. ὁ δὲ ἄζυμος διαχωρέει μὲν ἧσσον, τρέφει δὲ μᾶλλον. *Fermentatus leuis eſt & facile ſecedit; non fermentatus ſecedit quidem minus, magis autem nutrit.* Medium itaque inter hæc tenere panis debuit athletarum, vt & multum nutrimenti ſuppeditaret, nec tamen cito nimis, emulſa breuiori tempore nutritiua parte, in fæces fatiſceret & extra corpus, natura ſic impellente, proiiceretur: aut, ſi tu id mauis, ne alimentum ſanguini hinc adiectum aucta celerique circulatione nimis cito attritum & in ſerum inutile fatiſcens, per cutis poros expellatur.

a) *de victus rat. libr. II. pag. 356. edit. Geneu.*

§. L.

GALENI a) in hanc rem clarum teſtimonium ſupra iam totum retulimus, hic autem repetere ſuperuacuum putamus. Ex eodem b) itaque aliud potius attingemus dictum, quo nos docet de gladiatoribus, quos ſuperius diximus breuiori fere via ad habitum corporis diffuſum & artis perfectionem eſſe ductos, quam ceteros athletas. Ἐκ κυάμων ἐστί τις σκευασία, μετὰ πτισσάνης γιγνομένη. Καὶ πλείστῳ γε τούτῳ τῷ ἐδέσματι καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν οἱ παρ᾽ ἡμῖν μονομάχοι χρῶνται, σαρκοῦντες τὴν τοῦ σώματος ἕξιν οὐκ

 ἐσφιγμέ-

ἐσφιγμένη τε καὶ πυκνῇ σαρκὶ, καθάπερ τὸ χοίρειον κρέας, ἀλλὰ χαυνοτέρα πως μᾶλλον. h. e. *Ex fabis paratur aliquod cum hordeo excorticato edulium. Hoc quotidie multum ſumunt gladiatores noſtri, qui corporis habitum carnoſum reddunt, non carne ſolida & compacta, qualis ſuilla, ſed multo laxiori.* Fabæ alias non optime audiunt veteribus; Pythagoras earum eſu interdixit penitus; GALENVS autem, qui talium gladiatorum medicus, & ipſe athleticis ſtudiis deditus fuit, fidem merebitur de earum facultate ita ſcribens: *qui animum attendunt, easque corporis diſpoſitiones, quæ ſingulos cibos ſubſequi ſolent, obſeruant, ſentiunt in toto corpore, velut a ſpiritu flatulento, tenſionem quandam, potiſſimum ſi quis huic cibo non eſt adſuetus, aut ipſum non belle percoctum ſumſerit.*

a) vide §. 24.
b) *de facult. alim. libr. I. cap. 19.*

§. LI.

Vidimus cibos athletarum: nunc audiamus etiam, quam pulcris ſermonibus & confabulationibus condire eos ſoliti fuerint. Quid autem ab hominibus, in viliſſima ſui parte occupatis, exſpectari poſſit, per ſe quisque intelliget, ſed PLVTARCHI, illorum temporum ſcriptoris, teſtimonio plenius conſtabit. Is vero, *de ſanitate tuendi* pulcro libello, hæc habet: Ἀλειπτῶν δὲ φωνὰς καὶ παιδοτριβῶν λόγους, ἑκάστοτε λεγόντων, ὡς τὸ παρὰ δεῖπνον φιλολογεῖν τὴν τροφὴν διαφθείρει, καὶ βαρύνει τὴν κεφαλὴν, τότε φοβητέον, ὅταν τὸν Ἰνδὸν ἀναλύειν ἢ διαλέγεσθαι περὶ τοῦ κυριεύοντος ἐν δείπνῳ μέλλωμεν. *Aliptarum vero voces & pædotribarum crebros ſermones, quibus ſubinde inculcant cibum corrumpi & caput grauari, ſi quis inter cœnandum eruditos ſermones miſceat, tunc extimeſcamus, quum dialecticas tricas, in cœna euoluendas, aggresſi fuerimus. Nam,* ita pergit, *dialectica in cœna bellarium eſt minus dulce, ſed quæ vehementes capitis dolores & lasſitudines posſit inducere. Quod ſi iſti nihil etiam aliud ſub cœnam quærere ac philoſophari nobis permittunt, de iis rebus, quæ pulcræ iuxta ſunt & vtilem præbent oblectationem; iubebimus, vt moleſtiam nobis faceſſere deſinant, inque xyſto & palæſtris apud athletas diſputent, quos, a libris abalienatos, totos dies facetiis ac ſcurrilibus iocis exigere adſuefaciunt, &, vt ſcite Ariſto dixit, ſimiles columnarum in gymnaſio, nitidos ſcilicet lapideoſque fecerunt.* O miſeros homines, quorum corpora in ſagina ſunt, animi autem in macie ac veterno.

§. LII.

De potu athletarum, quantum ex fide dignis ſcriptoribus accepi, nunc eſt ſubiiciendum. GALENVS loquitor: *Athletæ non ita ſtatim ab exercitationibus vinum bibunt, ſed aquam prius, experientia ſic edocti.* Aquam igitur biberunt, eamque ab exercitationibus adhuc calentes, primo calidam, inde frigidam & tandem vinum, ſæpe etiam vinum aqua temperatum. In quo nihil eſt, quod non optimo conſilio inſtitutum fuerit. Aqua enim diluendis in ventriculo cibis eſt conuenientiſſima; bene quoque id factum, quod frigida abſtinuerint, dum corpus caluit: præſentiſſimam enim hoc inducit noxam; nec hoc male, quod, extra hoc periculum poſiti, frigidam ſumſerunt; calidæ enim præferenda eſt frigida, ſi modum non excedat; quippe & nos experientia nouimus, multum ingurgitatam calidam ventriculum totumque corpus eneruare. Vinum itaque conſiderandum nobis ſolum reſtat. Si *Horatium* audimus, abſtinendum a vino & venere fuit, quo loco tamen non plus puto dici, quam certis corporibus, certo tempore vino fuiſſe interdictum. Et illis quidem, qui ad iuſtam ſtaturam & longitudinem nondum peruenerant, parcius eo aut plane non licuiſſe vti: ita enim videtur intelligi velle poeta, quum puerum dicit, hoc eſt ad pubertatis annos iam accedentem: niſi enim hunc vellet, non opus fuiſſet de venere mentionem iniicere. Nec tamen hos rigide adeo obſeruaſſe abſtinentiam a vino, Arati apud *Plutarchum* a) docet exemplum: neque reliquos vini caruiſſe vſu, medicorum præcepta confirmant. Quo autem genere vini vſi ſint, non facile indicauerim, nec credo multum referre, ſi quis hæc ſollicitius ex antiquis velit exſculpere.

a) *tom. I. pag.* 1028.

§. LIII.

Vini tamen vſum, poſterioribus Romæ temporibus, vbi luxuriantes adeo etiam feminæ gymnaſia ſubibant, admodum copioſum & immoderatum, & a coena præcipue largius perpotatum fuiſſe, facile ex SENECA, MARTIALI, IVVENALIQVE poſſem probare, ſi hoc ad ordinariam diætam pertinere arbitrarer & non potius incredibili hominum libidini peruerſitatique tribuerem; ſed iterum hæc attingenda erunt, quando ad vomitiones athletarum fuerit peruentum.

§. LIV.

Non immerito aliquis quærat, quodnam tempus cibo ſumendo deſtinatum fuerit, & an diuerſo tempore eadem aſſumere debuerint. GALENVS a) adnotat ciborum varietatem nocentiſſimam eſſe: ſubdit: Φυλάττονται δὲ αὐτὸ μάλιστα καὶ οἱ γυμνασταί. Καὶ οἵ γε νομίμως ἀθλοῦντες, ἐπὶ μὲν τοῦ ἀρίστου τὸν ἄρτον μόνον ἐσθίουσιν, ἐπὶ δὲ τοῦ δείπνου τὸ κρέας. *Obſeruant id maxime gymnaſiorum præfecti: ii ſaltem, qui ad leges athleticas recte viuunt, in prandio panem ſolum comedunt, carnem autem in coena aſſumunt.* Vides prandium & coenam commemorari, diuerſo modo inſtructum, illud quidem frugale, alterum lautius, in quo τροφὰς προσφέρονται σὺν ἀνάγκῃ, πολλάκις ἄχρι μέσων νυκτῶν ἐκτείνοντες τὴν ἐδωδήν. *Coacti vorant, ſæpeque ad medias noctes alimenta ingerunt.* Ientaculum autem non ſumſerunt, ἡνίκα γὰρ οἱ κατὰ φύσιν βιοῦντες ἀπὸ τῶν ἔργων ἔχουσιν, ἐδεσμάτων δεόμενοι, τηνικαῦθ᾽ οὗτοι διανίστανται τῶν ὕπνων. *Quando enim homines, ad naturæ ductum viuentes, a laboribus ceſſant tantiſper, donec cibis ſe recreauerint* (h. e. circa prandii tempus) *tunc demum hi a ſomno reſurgunt.* b) Elegantiſſimus poetarum Chriſtianorum, PRVDENTIVS, hos homines, aut horum mores proxime ſequutos, videtur innuere, pulcherrimo carmine in luxuriæ & ſobrietatis pugnam conſcripto. c) Ita enim luxuriam nobis ſiſtit ad prælium prodeuntem:

Ac tunc peruigilem ructabat marcida cœnam,
Sub lucem quia forte iacens ad fercula, raucos
Audierat lituos, atque inde, tepentia linquens
Pocula, lapſanti per vina & balſama greſſu
Ebria calcatis ad bellum floribus ibat.

Longa enim & in noctem producta coena, ſomnus in multam diem protractus, a ſomno tepida pocula ad vomitum ciendum & poſt vomitum vino repleri: omnia ſunt γνησίως athletica.

a) *de victu acutor. com. I.* §. 18.
b) verba ſunt *Galeni orat. ſuaſor. ad artes.*
c) *Pſychomach. v. 316. ſeqq.*

§. LV.

Sponte ad ſomnum eorum conſiderandum ſermo decurrit, ante vero quam de illo exponamus, quædam ſuperſunt abſoluenda ad cibum pertinentia. Quum enim ſupra modum cibis ingeſtis ſe oneraue-

rauerint, neceſſarium eſt illud eueniſſe, quod iis fere omnibus, qui ab conſuetis ad minus ſibi vſu familiaria tranſire debent, & eo ſaltim tempore, quo aliquam in voracitate perfectionem nondum attigerunt, male ab hoc habuiſſe inſtituto, aduerſus naturam, paucis alias contentam, tantopere pugnante. Equidem, hæc apud animum cogitans, multum ad rem feciſſe arbitror, ſi quis eo corporis habitu a natura fuerit inſtructus, vt non facile ab rebus nouis, ſi quæ incidunt, damnum patiatur. Hi autem ſunt, quibus caro laxa eſt, vaſa autem minora: animus vero hilaris & obſequens, ſaltem non præceps & conſueti admodum tenax. Quum enim corporis habitum animi mores ſequantur, vt HIPPOCRATES ſapienter monet, ea ſolemus, in indole hominum deſignanda, plerumque coniungere. Tales autem communibus & in arte receptis vocabulis ſanguineos & phlegmaticos ſolemus vocare. Hos autem puto maxime huic inſtituto aptos fuiſſe, ex reliquis vero, ſi quis plurimum de temperatura hac obtinuerit. Nec deſtituit nos in eo experientia, quippe ex omnibus, in quibus aut magnum & prolixum corporis habitum deprehendimus, aut magnam in tolerando ac appetendo vario & multiplici, immo copioſo alimento, videmus naturæ patientiam; pauciſſimos deprehendemus, qui ſint eminenti aliquo gradu cholerici vel melancholici: nec auctoritas HIPPOCRATIS a) nos hic fallit, qui inter homines gymnaſticos, a coacto carnium eſu male multatos, refert τοὺς πυκνοσάρκους, quorum naturam eſſe acutam tradit, & in vtramque partem verſatilem, quæ non diu in eodem perſiſtat, ſi quem etiam habitum induxiſſes: contrarium euenire in hominibus rariori corporis habitu præditis, qui vt plurimum ſunt hirſutiores, & tum carnium eſum facilius admittunt, tum vero etiam laboribus tolerandis & conſeruando bono habitui, ſunt aptiores.

a) *Libello de diæta ſalubri.*

§. LVI.

Naturæ accedit conſuetudo, quam ſæpe conando, tentando, agendo, repetendoque acquirimus. Huius quanta vis ſit, & quanta in vtramque partem, non opus eſt hic exponi, quum de ea inter omnes conſtet. Quid itaque mirum, ſi his hominibus, longiori temporis ſpacio, in quantitate aſſumendorum, ex magiſtri præſcripto quaſi per gradus, progredientibus, ventriculus & inteſtina magis magisque expandi ſe dilatarique paſſa ſunt, vt quantitatem cibo-

rum caperent, quam non crederet aut poſſet alius; quum ii medici, qui diſſectionibus corporum diligentius vacarunt, non pauca edonum bibonumque corpora offenderint, quorum hæ partes inſigni præ reliquis & ordinaria hominum magnitudine & capacitate conſpiciebantur. Nec ſolum copiæ ciborum ſenſim adſueſcimus, verum etiam eorundem conditio & qualitas cum tempore familiarior nobis & tolerabilis reddi poteſt. Si autem de copia ſuccorum, in corpus hinc affluentium & cumulandorum, quæris; de eo ſuo loco circumſpiciemus.

§. LVII.

Vt vero melius ferrent tam copioſum alimentum, nouoque, ad ſtatam horam ingerendo, idonei eſſent: in hunc finem multum ſane laborarunt, ne quid excrementitii ſordidique in corpore diutius hæreret, ſed, quam fieri poſſet, celerrime eiiceretur. Hoc quidem impetrarunt frequenti cataclyſmatum vſu & vomitionibus, tantum non quotidianis. Ad horum itaque hiſtoriam tradendam, vſumque inueſtigandum, debemus accedere, & tantiſper ſomnum athletarum porro differre. Vtriuſque ſane vſus eſt admodum vetus, &, ſi quid hiſtoriis fidendum, ab Aegyptiis crebrior eorum vſus ad Græcos peruenit, quod inter HERMANNVM CONRINGIVM a) & OLAVM BORRICHIVM b) ex parte iam agitatum eſt, quorum omnes concertationes plus ſane reip. medicæ, ad ſua incunabula noſcenda, profuerunt, quam innumerorum otioſa & iners concordia.

a) *de Hermetica medicina lib. I. cap. XI.*

b) *in Hermetis, Aegypt. & Chemic. ſapient. vindicata. cap. VII.* §. 3.

§. LIIX.

Stetit autem, priorum athletarum tempore, hæc res, quantum inquirendo addidici, intra mediocritatis terminos, vt nimium illi non reperiam adeo tributum. Quippe HIPPOCRATES aut, ſi mauis, POLYBVS a) eorum vſum ſic temperat, vt alui per infuſa elotiones & τὴν ἄνω κάθαρσιν per vomitum, ſecundum anni tempora diſtribuat; bis vero ſingulis menſibus alterum ex his in vſum vocare permittat, etiam τοῖς ἰδιώταις, id eſt, ſuo more & ritu, ſine certa lege, viuentibus: credo autem magis hoc in hominibus vitam περιστατικὸν degentibus admiſiſſe veteres, ſi neceſſitas etiam aut vſus ſæpius expeterent. Iuuat quoque cernere, quibus ſubſidiis vtrumque præſtiterint.

ſtiterint. Infuſa erant vel craſſa & pinguia ex lacte, cicerum decocto & aliis huiuſcemodi; vel tenuia & ſalſa, ex aqua marina, muria & ſimilibus. Vomitum ciebant, ſi quis hyſſopum contritum in aquæ congio bibiſſet, cui, ad gratiam, aliquid aceti & ſalis miſcebatur: & is erat modus, quo ieiuni vomebant. Non multum eſt diuerſus ille modus, qui in epiſtola ad Antiochum ab HIPPOCRATE, vt fertur, ſcripta, legitur, his verbis: *qui mane vomiturus eſt, debet minutatim raphani radices manducare, easque, vel ſuccum earum tranſmittere: cardamum quoque, id eſt naſturtium, ſed & ſinapi & erucam deuorare & aquam inde tepidam ſuperbibere, ac digito vomitum procurare.* Cum quo comparandus eſt CORNEL. CELSVS, b) cuius hæc eſt doctrina: *qui vomere poſt cibum volet, ſi ex facili facit, aquam tanquam tepidam ante debet aſſumere: ſi difficilius, aquæ vel ſalis vel mellis paullum adiicere. At qui mane vomiturus eſt, ante bibere mulſum vel hyſſopum, aut eſſe radiculam debet, deinde aquam tepidam, vt ſupra ſcriptum eſt, bibere.* Atque hæc videntur athletis non minus, quam omnibus reliquis, quibus ſufficiebant, in vſu fuiſſe. Laudanda in his ſimplicitas fini obtinendo per omnia ſufficiens: & quanto melius egerunt, qui talia, ventriculo tantum euacuando, dederunt, a quibus nulla noxa fieret, quam noſtro tempore plurimi, qui nihil niſi δράστικα ad euacuandum propinant, præſertim vbi vomitum proritare conſtituerunt. Veteres talia numquam dederunt καθάρτικα, niſi opus videretur, ex toto corpore vacuare humores, & prudenter illos tunc quoque ſelectum inſtituiſſe legimus: in quo nos vtilius imitaremur eorum prudens conſilium & canam experientiam admitteremus, quam nunc eos ridemus, quando verbis βαρβαροφωνοτέροις aliquando delicatas aures noſtras videntur percellere.

a) *de ſalubri diæta* Statim ab initio illius libelli declarat auctor, ea ſe præcepta ſcribere idiotis, quos CELSVS noſter *libr. I. cap. I.* vocat homines, *qui ſuæ ſpontis ſunt.* GALENVS, in commentario ad dictum ſiue Hippocratis ſiue Polybi libellum, τοῖς ἰδιώταις opponit illos, qui vitam degunt περιστατικὸν, id eſt talem: quæ ſe accommodare debet circumſtantiis loci, temporis, neceſſariorum negotiorum. Tales ſunt, qui militant, aut peregrinantur, aut publicis negotiis diſtinentur, quibus non licet delectum habere, quibus cibis velint veſci aut non veſci, aut horas capiendo cibo conſuetas certaſque obſeruare, aut modum in quantitate & qualitate eorundem tenere. CEL-

SVS

SVS *l. c.* tales innuit, quando indicat, quid *intermiſſus ob aliquas ciuiles neceſſitates ordo* efficiat.

b) *Libr. I. cap.* 3. Apparet ex hoc loco, duo fuiſſe tempora, quibus vomitum veteres ciebant: a cibo ſcilicet, & mane, ieiunorum hominum. Ex his ille a cibo medicis frequenter laudatur & vel conſeruandæ ſanitati, vel curationi morborum deſtinatur. Hic autem matutinus ieiunorum vomitus proprie eſt athletarum aut ipſorum diætam æmulantium. Atque hinc manifeſtum eſt tam frequentes imo vero quotidianos veterum vomitus non ſatis ſecure ab aliquibus noſtratium medicorum allegari, vt patrocinium hinc afferant vomitoriorum crebro vſui in variis morbis. Sed hoc indicaſſe ſufficiat: nam hic locus non patitur, ampliorem de hoc argumento ſermonem inſtituere.

§. LIX.

Frequenter itaque vomendi & aluum infuſis eluendi conſuetudo antiquiſſima eſt, nec athletarum demum Græcorum Romanorumue inuentum cenſeri debet. Hi autem, vt ſolent omnia in deterius verti, ad κακοτεχνίαν rem deduxerunt & quotidianum fecerunt, quod antea bis ſingulis menſibus exercebatur. Fidem hic non merear, niſi claris teſtimoniis euicero. Adſit igitur medicorum diſertiſſimus C. CELSVS a) qui nos ita inſtruit: *Vomitum luxuriæ cauſſa fieri non oportere confiteor; interdum valetudinis cauſſa recte fieri, experimentis credo. Commoneo autem, ne quis, qui valere & ſeneſcere volet, hoc QVOTIDIANVM habeat.* Idem breui antea hæc protulerat: *reiectum eſſe ab Aſclepiade vomitum in eo volumine, quod de tuenda ſanitate compoſuit, video: neque reprehendo, ſi offenſus eorum eſt conſuetudine, qui QVOTIDIE eiiciendo vorandi facultatem moliuntur. Paullo etiam longius proceſſit.* Hanc vere conſuetudinem ita reprehendit SENECA: b) *Aeque luctatores & totam oleo ac luto conſtantem ſcientiam expello ex his ſtudiis liberalibus. Quid enim, oro te, liberale habent iſti ieiuni vomitores, quorum corpora in ſagina, animi in macie ac veterno ſunt.*

a) *Libr. I. cap.* 3. CELSO addi poteſt C. PLINIVS *natur. hiſt. libr. XI. cap.* 43. *ſect.* 117. *Vomitiones homini in remedium excogitatæ, frigidiora corpora faciunt, inimicæ oculis maxime ac dentibus.* Atque idem *libr. XXVI. ſect.* 8. de Aſclepiade ſic ſcribit: *damnauit merito vomitiones, tunc ſupra modum frequentes.*

b) *epiſt. LXXXVIII.*

§. LX.

§. LX.

Si cui hæc non ſufficiunt, quantumuis clara ſatis & certa teſtimonia; hunc pluribus obruere poſſunt SVETONIVS, qui Imperatorum Romanorum hiſtorias ea narrat libertate, qua ipſi vixerunt, & tres nobis imperatores, Neronem, Tiberium Claudium & Vitellium perhibet præ ceteris gymnaſticæ rei, adeoque voracitati quoque, multum deditos, de quibus ſingulis vomendi familiarem frequentiam commemorat; MARTIALIS etiam & IVVENALIS, qui non vno loco viros & feminas obiurgant gymnaſtice vorantes & vinum adeo etiam ieiuno ventriculo infundentes, vt vomere poſſent. Sed non ſolum ante cibum vomebant, verum quoque a cibo illud ſæpius perpetrabant. Nolo autem ipſa verba inſerere, ne ſim longior, præſertim cum adducenda nunc de inſtrumentis, vomitui proritando inuentis & hinc per longa ſæcula, ad noſtram quoque ætatem, vel ſuperſtitibus vel reuocatis, abunde fidem faciant, quam non formidauerint veteres ciborum aut cruditatum per os reiectionem.

§. LXI.

Veteres igitur familiari vſu habebant quandam quaſi chirurgiam aut mechanicam, qua ſe ad vomendum facilius iuuabant. Vidimus eos vehiculum aſſumere reiiciendis cibis eſſe ſolitos, maxime aqueum, paucis medicamentoſis, iisque blandis, alteratum, qui vero plus eſſent ſumtuoſi & luxuriæ dediti, copioſo prius vino diſtendiſſe ventriculum. Iam poſt breuem deambulationem indigebant ſtimulo aut irritamento, cuius ope ea produceretur in faucium, oeſophagi & ventriculi muſculoſis tunicis contractio & compreſſio, quæ ſurſum impellendo contenta proiiceret. Id promte ſatis fiebat digito, quam longiſſime fieri poſſet, in fauces intruſo, ibique, quantum ſatis eſſet, retento. In hunc ſenſum auctor vetuſtæ ad Antiochum epiſtolæ, quæ HIPPOCRATI tribuitur, ſcribit: *qui mane vomiturus eſt, debet minutatim raphani radices manducare easque, vel ſuccum earum transmittere; cardamum quoque, id eſt naſturtium, ſed & ſinapi & erucam, deuorare & aquam inde tepidam ſuperbibere ac digito vomitum prouocare.* Digitos autem alii, & plerumque quidem, nudos adhibebant, alii irritante aliquo ſucco, vt ſcammonio, illitos. Quibus hoc non ſufficiebat, *digitale vomitorium* commenti ſunt, quod δακτυλήθρα vocabatur. Hoc nobis Vir χαρίεστατος IO. RHODIVS a) ex Oribaſii

collectaneis medicis, ita deſcribit: *Conſuuntur digitalia ex corio carthaginienſi aut alio quouis molliſſimo, ad longitudinem digitorum decem aut duodecim* (latorum) *inſtar digiti. Ex his ſpacium ſenum digitorum lana impletur, reliquum vero, quod quaternum digitorum eſt, inane relinquitur, vt digitis aptetur. Haec igitur vnguentis* (*cyprino aut irino*) *intincta in ſtomachum immittemus.*

a) ad *Scribonium Largum not. p.* 267.

§. LXII.

In eumdem finem alii vtebantur penna, ſeu, vt ſcriptum apud pleroſque veteres videas, pinna, oleo madefacta. Idem, quem modo citauimus, ORIBASIVS rem clarius deſcribit: *pennas anſerinas ex cauda, octo aut decem, cyprino aut irino tinctas, indemus;* quod ex eodem repetit quoque PAVLVS AEGINETA. Longum eſſet in hanc rem coaceruare *Suetonii, Athenaei, Taciti, Suidaeque* teſtimonia, quae in promtu ſunt, quare illud tantum, vt videamus durationem huius remedii generis, adducemus, Arabum medicorum principem, IBN SINAM a) quem AVICENNAE nomine vulgo cognoſcimus, huius quoque meminiſſe, quem interpretis ore balbutientem exhibebimus, quum iam non liceat Arabicum exemplar intueri melioremque expoſitionem moliri: *Et, ſi cum penna vomuerit, bene erit; & ſi non, moueatur parumper, & ſi non, in balneum mittatur. Penna quoque, qua ſit vomitus, inungenda eſt ex aliquo, quod ſit ſicut oleum ſiſaminum.* Quin ex recentioribus CHRISTOPHORVS a VEGA, b) Hiſpanorum medicorum facile clariſſimus, in ſubitis, vbi celeri vomitu opus eſt, id procurare ſuadet aut digitorum in os immiſſione, aut penna oleo madefacta. Solent etiam apud MARTIALEM c) haec verba huc trahere:

Stat exoletus, ſuggeritque ructanti
Pinnas rubentes cuſpideſque lentiſci.

Magis autem videtur locus de dentiſcalpio eſſe accipiendus, quod vel ex pennis, rubro colore infectis, parabant, vt apud nos quoque fieri ſolet, vel ex lentiſci cuſpidibus. Exponat autem ſemet MARTIALIS, d) ita in dentiſcalpium ludens:

Lentiſcum melius, ſed ſi tibi frondea cuſpis
Defuerit, dentes penna leuare poteſt.

a) *Ca-*

a) *Canon. libr. I. Fen. IV. cap. XI.*
b) *art. med. III. ſ. V. cap. 8.*
c) *libr. III. epigr. 82.*
d) *libr. XIV. ep. 22.*

§. LXIII.

Commemorant etiam veteres lorum vomitorium, penna multo efficacius, hoc eſt corrigiam, a coriariis nautea herba tractatam, quæ, in os demiſſa, tætro ſapore vomitum concitaret, nec non funiculum ex papyro confectum, quinimo ferreum inſtrumentum: de quibus plene & docte ad SCRIBONIVM LARGVM commentatus eſt IO. RHODIVS a) cuius verba huc transferre non putamus eſſe neceſſarium. Idem quoque attingit aliam Arabum machinam vomitoriam ab AVICENNA b) quoque deſcriptam, quam is refert in apparatu chirurgi venam ſecturi: *habeat*, inquit AVICENNA, *glomerem vt fruſtum rotundum ex ſerico groſſo* (quod And. Alpago auctore vulgariter *ſtruſo* dicitur) *aut ſerico ſubtili, & cum eo habeat etiam inſtrumentum vomitiuum ex ligno aut penna; ideo vt ſi ſyncopis acciderit, quæ eſt vna ex rebus, quæ ex minutione timentur, & fortaſſe habens hoc non excitatur a ſyncopi, ſuccurrat & glomerem in os eius mittat & ipſum cum inſtrumento vomere faciat.* Conſtat, ni fallor, de mente & conſilio Auicennæ. Quo magis dubito RHODIVM recte inſpexiſſe auctorem, cum ita ſcribit: *Sic medicorum Arabum princeps: verum* οὐδὲν πρὸς διόνυσον. *Toto enim capite diſſeritur de venæ ſectione, quid vero ipſi eſt cum vomitu? librarii culpa eſto: plura non adiicio.* Sed nec nos plura de vomitoriis inſtrumentis, quorum antiquiſſimi natales ſatis cogniti ſunt. Potius ad athletas redimus, quorum cauſſa hæc inſerta ſunt. Nulli enim dubitamus hos maxime ex enarratis vſos eſſe aliquibus, quibus ſubinde ventriculum excuterent, & ad nouæ repletionis deſiderium ſollicitarent.

a) ad *compoſ. CXXX. notis pag. 267.*
b) *libr. I. Fen. IV. c. XX. pag. 79. b. edit. Iunt.*

§. LXIV.

Si toties vomuerunt athletici homines, annon conſequens fuit, vt aluus valde adſtringeretur? Eſt enim illud inter doctrinas medicorum, ventrem comprimi & ſtipari, quando eiectiones per os moliti ſumus, aut illæ ſponte acciderunt. Enimuero CELSVS a) nobis

 bis

bis hunc ſcrupulum eximit: *Illud ſcire oportet*, inquit, *quod ventrem vomitus ſolutum comprimit, compreſſum ſoluit. Idemque comprimit is vomitus, qui ſtatim poſt cibum eſt; ſoluit is, qui tarde ſuperuenit.* Nihil itaque eſt quod hic timeamus, quum non niſi tardiſſime vomitum moliti ſint, quando nempe ab heſterna coena, in ventriculo forte relicta, reiectare viſum fuit, vt noua, in prandio aſſumenda, poſſint locum inuenire vacuum. Eadem igitur opera puto ſuperius eos reieciſſe per os, &, inducta per vomitum concuſſione & preſſione partium in abdomine, etiam craſſorum inteſtinorum contenta ad exitum eſſe compulſa. Si vero hæc ſpei & voto minus reſpondiſſent, tum demum clyſterum operam fuiſſe expetitam.

a) *Libr. I. cap. III. pag.* 34.

§. LXV.

Ex AVICENNA ſuperius intelleximus, iis, qui a pennæ vſu non vomuerint, ſuaderi balneum. Reuocauit hoc in memoriam, quod apud PROSPERVM ALPINVM a) de vſu balnei apud Aegyptios, in illum finem vt vomerent, legerim, quem eo magis adeundum iterum mihi putaui, quod frequenter vomendi conſuetudo ab Aegyptiis fuit. Is igitur nobis auctor eſt, hodieque in his terris operam dari corporum ſaginæ, præſertim a feminis: ſed vomitandi adeo frequentem eſſe vſum, vt multi ſingulis hebdomadibus hoc faciant, plerique bis quouis menſe, aliqui etiam ſemel hoc facere ſatis habeant. Vt vero facile vomant, ad decem vſque libras aquæ, in qua glycyrrhizæ radix, ſeminaque fœniculi, ſint percocta, epotant, ſicque euomunt multa & quam facile. Sed inſtituunt hanc euacuationem balneo aquæ dulcis tepidæ inſidentes. Lucem hæc dant HIPPOCRATI, b) ad intelligendum, quo fine iubeat τὰ παιδία τὰ νήπια βρέχειν, ἐν τῷ θερμῷ ὕδατι ἐπὶ πουλὺν χρόνον καὶ πίνειν διδόναι ὑδαρέα τὸν οἶνον καὶ μὴ ψυχρὸν παντάπασι. *Puerulos admodum infantes multa aqua calida per longum tempus fouere, & vinum bibendum dare aquoſius, hocque non penitus frigidum.* Nempe is finis & exitus huius conſilii fuit, vt infantes vomerent; cur autem vomerent tenelluli? Ipſe addit: Ταῦτα δὲ ποιέειν, ὅκως οἱ τε σπασμοὶ ἧσσον ἐπιλάβωσι, καὶ μείζονα γίνηται καὶ ἰσχυρότερα (Galenus legit εὐχροώτερα.) *Fieri debet hoc, vt conuulſionibus minus ſint obnoxii, & maiores euadant meliorique colore & robore præditi.* Non autem ex vana coniectura ita Hippocratem, etiam contra Galenum, expono de vomitu proritando, quoniam eo loco, qui cum hoc arcte cohæret, de modo vo-

mitum

mitum (diæteticum non pharmaceuticum) ſalutariter prouocandi præcipit; deinde, quia ex eo, quod præſcripſit, regimine nihil aliud quam vomitus conſequi poteſt; denique quia inſanum eſſet, de ſummo *Hippocrate* exiſtimare velle, quod tenellulis puerulis vinum pro quotidiano vſu præſcripſerit: tandem, quod is modus, ſecundum omnes artis regulas, ad præcauendas conuulſiones eſt aptiſſimus.

a) *de medicina Aegypt. libr. III. c. 17.*
b) *de ſalubr. diæta* §. *XI.*

§. LXVI.

Confer cum his, ſi placet, ſuperius laudata CONRINGII & BORRICHII loca, & mirare durationem conſuetudinis frequenter, ſed ſine violentia & virulentia medicamenti, vomitum proritandi. Pulcrum ſpecimen Aegyptiæ medicinæ οὐ διακεκινδυνευμένοις φαρμάκοις χρωμένης, ἀλλὰ τοιούτοις, ἃ τὴν μὲν ἀσφάλειαν ἔχει ὁμοίαν τῇ τροφῇ τῇ καθ' ἡμέραν, τὰς δὲ ὠφελείας τηλικαύτας, ὥστ' ἐκείνους ὁμολογουμένως ὑγιεινοτάτους καὶ μακροβιωτάτους εἶναι. h. e. *Quæ non vtitur medicamentis cum multo periculo coniunctis, ſed talibus, quæ tuto vſu cibis conferas, tanto tamen cum fructu ſumantur, vt in confeſſo apud omnes ſit, hos homines eſſe omnium ſanitate firmiſſima & longiſſima vita.* a) Nec ſolum vomitus frequens eſt hodieque apud Aegyptios, verum etiam clyſterum vſus adeo obtinet, vt eos, incraſſari cupientes, bis terue quaterue, in balneis, vno die, adhibeant.

a) ISOCRATES *encom. Buſirid.*

§. LXVII.

Non indigna res videtur, cui paulliſper immoremur. Et primo quidem illud Aegyptii, ex antiquiſſima medicina, rite tenent, vt pro diuerſo fine, temperare vſum balneorum, vomitionum, frictionum calleant, vt æque ad pinguefacienda & incraſſanda faciant, ac iisdem extenuare hominem nimis obeſum nouerunt; ſcilicet pro temporis diuerſitate, quo ad hæc veniunt, vt & pro gradu caloris in balneo, intermiſſa vnctione vel adhibita, & denique frictionum diuerſa ratione. Quæ omnia pari ratione ex Hippocratis & coæuorum, vt & ſubſequutorum, praxi poſſem comprobare, ſi hic locus pateretur longiorem a propoſito excurſionem.

§. LXIIX.

Deinde etiam clyſterum vſus, ad carne & pinguedine inducenda corpora, veterum conſtat experientia & comprobatione. Videndum autem eſt, quam diſtincte eodem remedio vſi, diuerſum finem obtinuerint, vt habitiores fierent homines & gracilentiores ab eodem medicinæ genere. Nam craſſioribus, qui augeri non debebant, tenuiora & ſalſa infundebant, veluti muriam, aquam marinam & eiuſcemodi: gracilioribus, quos deſiderabant auctos, adhibebant craſſa & pinguia ex lacte, cicerum decocto, & pluribus huius generis. Omnia autem hæc talia ſunt, vt, frequentius etiam adhibita, nihil violenter in corpore aggrediantur, ſed ita blande corpus purgent, ac pituitam bilemque educant, abluendo; veluti balneatores, vt *Galeni* verbis vtar, ſe balnea purgare dicunt, quum ab illorum lapidibus cœnum abſtergunt & ſordes.

§. LXIX.

Tandem in vniuerſum æſtimare hoc crebrarum euacuationum artificialium debemus inuentum. Equidem video hic etiam nimis communem inter medicos diſſenſum admodum elucere, quando de vomitoriis quæritur. Si autem rationes ab iis allatas perpendimus, hodiernorum omnis diſſenſio nihil tangit veterum circa hanc rem vſum. Quotus enim quiſque medicorum, de vomitoriis dicens vel ſcribens hodie, non intelligit pharmaceuticum medicamentum, quod intra corpus aſſumtum, ſpaſmum fibroſarum partium, indole ſua volatili ſalino-ſulphurea acri, prouocat, & hac contractione eiectionem per ſuperiora concitat. Veteres autem, quum tot millies mille vomitus vno anno peragerent; numquam talibus indiguerunt, niſi quum vniuerſa humorum maſſa videretur expurganda & ſerum toti corpori detrahendum. Si itaque ille vomitus veterum diæteticus a) diuerſiſſimus a noſtro fuit, conſequens eſt, vt nec in nouum noſtrum vomendi genus ea quadrent, quæ antiquorum vomitionibus conueniunt, nec ea in veterem modum coniici debeant, quæ effecerunt, vt vomitoria pleraque multis præclaris viris & in artis operibus verſatiſſimis ſuſpecta reddita ſint, adeo certe, vt non ſine magna cura & ægre plerumque ad ea veniant. Ortum hæc differentia, niſi magnopere fallor, Chymicis debet ſuum, qui magno ſtudio id agunt, vt medicamenta inueniant parua mole efficacia, quo ipſo ſtudio nimis iam feliciter impetratum eſt, vt Galenicorum, diffuſiori mole

pro-

propinandorum, omnes inuaſerit tædium atque odium, & vomitum pauci hodie, niſi confectis ex croco metallorum, vitro antimonii, aliisque antimonialibus aut metallicis, prouocent. Spero tamen fore id tempus, quo, inito per talia virulenta iugulatorum calculo, nimis mature abiecta requiſitum in veterum veſtigia & vias frequentius redibimus & BAGLIVO b) credemus: *praxin Galenicorum maximis propemodum interuallis recentiorum praxin antecellere.*

a) Fundamentum appellationis huius mihi dat HIPPOCRATES *de diæta III. § XXI.* vbi homini decolorato & multum acidum continuo eructanti conſulturus in hunc modum ſcribit: ἡ μὲν οὖν ταχυτέρη θεραπείη ἐλλέβορον πίσαντα προσάγειν· ἡ ἀσφαλεστέρη, ἀπὸ τῆς διαίτης. *Velocior quidem curatio eſt epoto veratro educere cruditates: verum tutior a diæta.* Vbi ſubiicit ſtatim modum vomendi diæteticum. Scilicet calida lotus vomitum faciat, eamque euacuationem per interualla aliquot dierum identidem repetat.

b) *Prax. med. lib. I. cap. X. § 5.*

§. LXX.

Ante paucos annos a) magno, vt in rebus, quæ nouæ videntur, fieri ſolet, conatu ad excutias ventriculi in vſum reuocandas quidam iuerunt; ſed vnus vel alter infelix caſus ipſas fere naſcentes ſuppreſſit & hominum manibus excuſſit. Accedit autem illud inſtrumentum ad antiquitatis vſum quam proxime, & poſſet ſane eius magna vtilitas eſſe, ſi recta cum ratione adhiberetur, & ipſum ſic præpararetur, vt ab eius applicatione nulla in faucibus vel ventriculi tunicis læſio poſſet conſequi. Si tamen omnino huic diffidendum videtur, digitale certe vomitorium, ſuperius deſcriptum, tale eſt, vt nihil incommodi ab vſu eius pertimeſcendum ſit.

a) anno, ſi recte memini, cIↃ IↃCC XII.

§. LXXI.

Circumſpiciendum nobis nunc eſt de reliquis. Vidimus quam multa & quænam athletæ in cibum ſumſerint, & qua ratione in tanta aſſumtorum copia cauerint, ne appetitus noui cibi ipſis eriperetur, aut venter totus oppletus a recipiendo nouo prohiberetur. Videndum ſupereſt, quomodo tam multi cibi digeſtionem promotum iuerint. In quo reliquæ omnis diætæ rationem vniuerſam videbimus incluſam. Ea ſic erat inſtituta, vt corpori augendo mole idonea

nea eſſet, & tamen molem non inertem ac pigram, ſed robore debito præditam, procuraret. Ad primum obtinendum ſomnum copioſum, poſt maximam in cœna repletionem, illis præſcribebant; alterum autem impetrabant laboribus vehementibus & aſſiduis, non minus, quam de cibo diximus, coactis, & neceſſario ſubeundis: qua ratione id conſequebantur, vt & per illos labores viriumque conſumtionem locus nouo incremento fieret, & aſſumtum illud, pro vlteriori alimento, pabulum, ſecura & profunda per ſomnum quiete, in venas abripi & per totum corpus poſſet diſtribui.

§. LXXII.

Videntur autem athletæ illud maxime ex ſalutaris artis habuiſſe fundamentis, quod largiorem paſtum non in prandio aſſumſerunt, ſed cœnæ eum reſeruarunt. Nam a prandio, quod veteres ante meridiem ſumebant, vna vel altera hora, debebant ad duras & continuas exercitationes venire, iiſque toto corpore vehementer moueri, qua ratione multum crudi chyli & præcocis in venas fuiſſet abreptum & humores impuros reddidiſſet. Quod intuitus PLEMPIVS a) inter noſtrum prandium & cœnam non ſatis intercedere temporis, ad exercitationem corporis ſubeundam, ſtatuit. Nec proinde male ſibi conſulere, in Saxonia præſertim inferiori, videntur homines, duriſſimis laboribus agriculturæ dediti, vt & plerique omnes reliqui, quod prandium habent modicum, cœnam pleniorem aſſumunt. Sed otio languentibus, aut vitam magis ſedentariam habentibus quam actiuam, ſi hac ratione victum diſtribuerent, verendum eſſet, ne corporis inerti mole nimium diſtenderentur. Pulchre GALENVS b): *ad ſanitatem tuendam mirum in modum confert, ſi corpora moderate exerceantur: at contra quies, & otium diuturnum maximo illis nocumento eſt. Neque enim morbo quiſquam corriperetur, ſi accurate obſeruaret, ne in cruditates incideret, aut vehementer poſt cibum exerceretur. Nam ſicuti bonæ valetudini ante cibum exercitatio maximum affert commodum, ſic qualiſcunque ſumto cibo motus noxius admodnm eſt.* Atque PLINIVS: c) *ſomno concoquere corpulentiæ quam firmitati vtilius.* At vero nihil a prandio, præſertim copioſiori, magis noxium, quam celerior motus & ad anhelitum ſudoremque productus, quod, iam laudato GALENO & PLEMPIO auctore, & experientia teſte, morbi cutanei, pruritus, ſcabies, glandularum maxillarium tumores, & intus obſtructiones inde oriuntur, præſertim vbi ſimul ac ſemel a motu deſiſtendum eſt,

vt

vt transſpiratio concitata ſubito deſinat. Idem de cœna locum habet, eoque magis, ſi æſtiuo tempore, ad aerem tunc humidiorem fiat. Sed ad athletas eſt reuertendum, de quibus inferius paullo videbimus plenius, qua ratione ab hoc errore ſibi cauerint, ſi prius de ſomno expediuerimus.

a) *de ſanitate tuend. pag.* 288. Pulchre illuſtrat locum illum exemplo illorum, qui in pædagogiis Louanienſibus educantur. Perſuaſiſſimum habeo, id non Louanii ſolum deprehendi verum. Neque vero aut placet aut vacat nunc plane hunc locum excutere. Sufficiat retuliſſe exemplum, quod, ante hos tres aut quatuor annos, mihi obtigit. Erat hic nobiliſſimus iuuenis & ad litterarum ſtudia cupidiſſime latus, in quo a ſuo moderatore, docto & in primis diligente viro, confirmabatur. Totum adeo diem ſiue audiendis doctrinis ſiue repetendis tribuerant, vt motioni & corporis exercitationi nulla hora ſupereſſet, præter illam a meridie & prandio primam, quam, vt rebatur, commodiſſimam palæſtræ tribuebat. Mox ſcabie foeda humida obſidebatur. Adhibebantur ex meo conſilio optima, quæ centies profuerant, hic ſine fructu. Culpa in innocentem vrbem coniiciebatur, tamquam ſcabiei feracem. Veniebat ad me nobilis, vale dicturus. Indignabar viliſſimo morbo, qui nobis tam egregium ciuem volebat expellere; expiſcabar accuratiſſime omnem diætam. Quum audirem illum in exercitatione ſubeunda errorem, oſtenſo Plempii teſtimonio, perſuadebam homini, vt maneret, ſpondebamque, quæ euentura eſſet, valetudinis emendationem, ſi diætæ tolleretur vitium. Obſequutus eſt, mox conualuit, & per annum, ac quod excurrit, ſanus & incolumis apud nos manſit.

b) *de cibis boni & mali ſucci p. m.* 1176.

c) *H. N. Lib. XI. cap.* 53.

§. LXXIII.

Somnus itaque athletarum, quod multus & longus fuerit, ex Galeno ſupra iam intelleximus. Is igitur inſtitutus eſt, vt pingueſcerent maxime, & ſaginam corporis fouerent. Videmus hoc exemplo animalium: quæ volumus pinguefieri, hæc caueis includuntur, vt minime poſſint moueri. Præclare de hoc SENECA: a) *Aues, quæ conuiuiis comparantur, vt immotæ facile pingueſcant, in obſcuro continentur: ita, ſine vlla exercitatione iacentibus, tumor pigrum corpus inuadit, & ſuper membra iners ſagina ſuccreſcit.* Vidimus apud Iudæos anſeres

res ita ſaginari, vt ſacco, niſi qua parte excrementa eiici debent, toto corpore inſuti, appendantur loco obſcuro, ſtatoque tempore turundis frumentaceis, in os intruſis, repleantur. Qua ratione pinguiſſimi euadunt & antiquas delicias, iecora quam maxima & delicatiſſima, acquirunt.

a) *epiſt.* 122.

§. LXXIV.

Ne vero per ſomnum venereis ludibriis vexarentur, & pollutionibus nocturnis virium magnam iacturam facerent, (nam a venere toto tempore exercitationum prorſus erat abſtinendum; quin plurimi memorantur athletae, qui per totam vitam ſeſe continuerunt) curioſe ab illis procurabatur laminis ex plumbo, renum ac lumborum regioni per noctem applicatis. Credebant autem priſci homines, tantam ineſſe plumbo frigiditatem & ſiccandi potentiam, vt poſſit, etiam externe adhibitum, calorem partium, elaborando ſemini dicatarum, exſtinguere & humiditatem ſuperfluam conſumere. Horum enim amborum copia opus eſſe, ad generationem perficiendam, rebantur. Nec alia deerant remedia ſupprimendae veneri deſtinata, ſic vncti ad balnea prodibant, ibique gelida virgine perfundebantur, id eſt aqua pura, quam frigidiſſima illa profluit. Conſtat hoc *Martialis* teſtimonio, quod non adducemus, quia cum obſcoenitate coniunctum eſt. Quantum his artificiis profectum ſit, dicere nequeo, nolo tamen experientiam labefactare. Memini me quoque legere multos, ex religionis ſtudio caſtitatis voto obſtrictos, plumbi geſtare laminas eſſe ſolitos. Ego vero aduerſus libidinem ac laſciuiam nihil aeque facere credo, quam irritationum omnium occaſiones fugere, & herba perimente laſciuiam continuo vti. Prius in paedotribis laudat magnus BASILIVS ab MERCVRIALI a) citatus, quod *conſiderantes, ex veneris voluptatibus corpus imbecillius & ad neceſſariorum operationes pigrum atque debile reddi, temperantiae legem promulgauerint, quae adoleſcentum corpora a voluptatibus tuta conſeruaret & decertantibus ipſis, ne aſpicere quidem venuſtas formas permitteret*: alterum remedium frequenti ſermone inter familiares laudare ſolitus erat MELCHIOR CANVS, Hiſpanorum theologorum haud poſtremus, eiuſque virtute ordinis, a Ieſu nomen habentis, ſocios primos cuſtodiri, ne ab neceſſaria cum ſequiori ſexu conuerſatione ad flagitia perdu-

ducerentur. Peruenerunt ad Regis Hiſpaniarum aures hi ſermones, qui percunctatum ad homines huius ordinis aulicos miſit, quo nomine herba hæc diceretur; reſponſum autem tulit, vocari illam: timorem domini. b)

a) *art. gymn. lib. I. cap. XV.*
b) BÆLIVS *in diction. voce:* MARIANA. not. C.

§. LXXV.

Ceterum venerem corporum incrementis maxime obeſſe, præſertim friuolam illam & intempeſtiuam iuuentutis, maxime apparet ex priſcorum Germanorum corporibus, quorum hæc laus erat, quod quam diutiſſime impuberes manſerint, magnuſque apud illos continentiæ ſit honos habitus, in quam rem iterum conferendus eſt ſæpe laudatus HERMANNVS CONRINGIVS. Sed athletas omni tempore æque fuiſſe a venere alienos, non eſt veroſimile, illud potius maxime ad fidem pronum, finito exercitationum tempore, & certaminibus abſolutis, ad vxores eos eſſe reuerſos, a reliquæ etiam diætæ rigore aliquid deſciuiſſe. Maxime illud de Græciæ athletis liberis certum eſt; qui autem apud Romanos athletice viuebant, eos videor mihi in pleriſque deprehendere legibus ſeuerioribus minus obtemperantes, niſi forte adductius illi vixere, qui ludis incluſi erant gladiatores, & pugiles, iudicis ſententia eo detruſi, vel ære ad hoc emti.

§. LXXVI.

Qua ratione moli corporis comparandæ & conſeruandæ ſtuduerint, conſideratum eſt. Reſtat iam videre, quo potiſſimum modo effecerint, ne iners & inutile pondus eſſet corpori tanto ſtudio acquiſitum. Illud igitur laboribus præſcriptis quærebant. Græcis, termino fere vſitatiſſimo & proprio, vocantur ταλαιπωρίαι, quæ vox alias etiam miſeriam & ærumnas deſignare ſolet, &, niſi fallor, propterea eis indita fuit, quod eſſent ex neceſſitate obeundi & valde moleſti viderentur. Quales illi fuerint, ex ſuperioribus ſatis ſuperque, credo, conſtabit: nunc ordinem, quem in ſubeundis obſeruauerint, tantum recenſebimus, eademque ratione totius diei decurſum, vno quaſi obtutu, inſpiciemus. Ante prandium nullam exercitationem obibant, quod ſerius a ſomno ſurgere conſueuerant, &, ſi quod tempus ſupereſſet, vomendo & exoneranda aluo conterebant; tum

 et-

etiam, quod, docente Galeno, *ieiunum exercitare aperte vacuat.* In prandio panem tantum ſumebant, vt vidimus, & ad exercitationes, breui interiecto tempore, quod deambulationibus in gymnaſio conficiebant, ſe præparabant. Interea puto eos, qui inungi debebant, eſſe perunctos ceromate, & haphe conſperſos. Vngebantur autem præcipue luctatores & pancratiaſtæ, qui vehementiſſimis motibus debebant ſe exercere. Curſores autem, ſaltatores, diſcoboli, iaculatores & pugiles non putabantur hoc egere auxilio; certe ſi non eſſent pentathli, id eſt, qui omne genus exercitationis gymnaſticæ ordine ſubirent. In ipſis laboribus is in vniuerſum ordo erat, vt, qui exerceri inciperet, leuioribus daret operam, & per gradus ad altiora grauioraque anniteretur. Idem in quotidianis laboribus obſeruabatur & leuius primo, deinde vehementius, labore contendebant, in ſuo quiſque genere, quod, præſcribente magiſtro, tenendum erat. Quum iam tempus monebat exercitationibus deſiſtere, & ad cœnam venire, ἀποθεραπεία inſtituebatur, ſeu cura corporis illa, qua plene ex corpore & ſine moleſtia expelleretur, quod in motu fuerat, tum etiam vt laſſitudo, motibus peractis fortioribus ſubſequi alias ſolita, præcaueretur. Sicque ad cœnam, a cœna ad ſomnum redibatur. Ita non male GALENVS dixit: *omnem ipſorum vitam in hoc circo verſari conſpexi, aut edentium aut bibentium, aut dormientium aut ventrem exonerantium, aut ſeſe in puluere lutoque voluentium.* Sed plura video me incluſiſſe paucioribus verbis, quare nonnulla ex dictis pluribus erunt enarranda.

§. LXXVII.

Itaque de ratione vnctionis breuiter exponemus, quoniam copioſe iam illud & optime fecit HIERONYMVS MERCVRIALIS. Qui enim grauioribus exercitiis, & maxime defatigantibus, volebant occupari, ne nimium extra corpus per tranſpirationem expelleretur, a) tum vero etiam vt fibras molliores redderent, per totum corpus inungebantur. Ad hunc vſum erat in gymnaſiis alipterium ſeu vnctuarium. Ipſum vero, quod illinebatur corpori, vel ſimplex erat oleum, vel cera temperatum, vt minus facile a corpore difflueret. Ita ad pugnam prodire ſolebant, quando prius puluere corpus ita perunctum conſperſerant, ad quem vſum vel Puteolanus adhibebatur, ex notiſſima crypta Neapolitana, vel ex Aegypto aduectus. Dicebatur is haphe, vocabulo Græco in Latinum migrante: ob eam

vero

vero cauſſam inſpergebatur, vt facilius continere ſe inuicem luctantes poſſent. Vtriusque meminit SENECA: b). *totum athletarum fatum mihi illo die perpetiendum fuit: a ceromate nos haphe excepit, (in crypta Neapolitana.)* Quo loco in ſuum iter iocatur, quippe poſt lutulentum illud, quo totus fuerat ſordibus conſperſus & madens factus, puluere illius cryptæ quaſi reſiccatus fuit.

a) Minime debet vel præteruideri vel contemni hic, quem veteres ab exercitiis in genere, nudo corpore, per totum annum, ſuſcipiendis, & ſeorſim ab inunctione & pulueris inſperſione reportauerunt, inſignis fructus. Noſtratium plerique exiſtimant, hunc maximum eſſe laboris & exercitationum corporis fructum, ſi quis belle & plurimum ſudet. Antiqui ab exercitio deſiſtebant, quando animaduertebant, ſudorem velle prorumpere. Quin publice iactabant hunc exercitationum ſuarum ab ineunte ætate ſubeundarum fructum, quod ſub maximo æſtatis feruentiſſimæ æſtu non facile ſudarent. Oſtendit hunc fructum LVCIANVS libello *de gymnaſiis*: & PLVTARCHVS *in Mario*: mihi nunc non licet longius his immorari; quum id alibi ex inſtituto oſtendam.

b) *epiſt.* 57.

§. LXXIIX.

Apotherapiæ quoque ratio eſt habenda, quæ exercitationibus finem imponebat, quamquam aliquando etiam legimus, ipſis exercitationibus nondum abſolutis, ſi quis nimis videretur delaſſari, aliquam huius curam, ita iubente & probante epiſtata, fuiſſe inſtitutam, qui poſt illam ad labores tamen redire debuit. Quod quidem conſilium gymnaſtarum vehementer laudat & rationibus comprobat GALENVS. a) Duplici inſtituebatur fine, vt laſſitudinem demeret, & impuritates ex corpore educeret: non autem vno gradu eodemque modo; ſed & hic gymnaſtarum valebat præſcriptum. Præmonemus autem, nos apotherapiam hominum, tantum ſanitati ſtudentium, hic non attingere; ſed ad ſolos reſpicere eos, qui exercitabantur in gymnaſiis. Primus eius is erat gradus, vt ab vehementiſſimis exercitationibus ad leniora ſenſim veniretur, exempli cauſſa, ſi qui decertaſſent lucta vel pancratio, & ab hac eſſent defeſſi, ad curſum vel iactum, tandem ad ambulationem progrediebantur. Hoc ſatis iam facto in gymnaſiorum illam partem veniebant, vbi frictiones inſtituebantur. Hic ante omnia illis, qui oleo & puluere vſi antea fuerant,

ſtrigilibus, ex ferro vel alia commoda materia paratis, abradebantur ſordes multo iam ſudore perfuſæ, b) deinde quoque fricabantur. Quum iam ſatis ſudor euanuiſſet, vngi ſolebant. Si quibus lauari placeret calida, ante vnctionem faciebant, deterſi vero ſtatim vnguentis illinebantur. Plurimum autem amaſſe athletas frigida balnea certum eſt, quoniam hoc ad carnes augendas fouendasque in primis facere perſuaſum habebant. Qui lautiores erant & diuites, adhibebant vnguenta varii generis odorata: credo autem, athletas tam ſumtuoſos non fuiſſe, vt, qui in reliquis viuerent ſimpliciſſimis contenti, hic odores valde concupiuerint.

a) *de ſanit. tuenda libr. III. cap. 2.*

b) Vocabatur illud ſtrigmentum, cui pretium ſuum veteres ſtatuebant; de quo videatur IO. LANGIVS *epiſt. medicin. lib. I. epiſt.* 51.

§. LXXIX.

Dici vix poteſt quam curioſi fuerint priſci homines in frictione adminiſtranda. Varii erant modi, varii gradus, tantum abeſt vt perfunctorie in hoc negotio aut turbulenter verſati fuerint. Mox ſpiritus debebat incluſus cohiberi, mox ſubito emitti, partes vario modo tendi, remitti. Ipſa frictio vel a progymnaſta fiebat, vel vnus alterum, mutua opera, fricabat, idque vel manu, vel panno craſſiori. Sæpe etiam faſciæ abdominis lumborumque regioni circumiiciebantur, &, trahendo in vtraque earum extremitate, hac agitatione calor excitabatur. Eaque omnia diuerſa, pro hominum differentia. Obeſioribus frequenter ſic fiebant frictiones, vt manus valenter iniicerentur parti & ſubito retraherentur, quo MARTIALIS a) reſpexit:

Et putri lutulenta de palæſtra
Vncti verbere vapulat magiſtri.

Quæ omnia pluribus deſcribit *Galenus.* Adde, ſi placet, PROSPERVM ALPINVM, b) quo teſte diſces eadem hodieque in Aegypto fieri. c)

a) *libro VII. epigr.* 66.

b) *loco ſupra citato.*

c) Totum hoc argumentum diligentiſſime & optime nuper perſequutus eſt CAR. FRID. HVNDERTMARK in diſſertatione *de ſingulari vſu frictionis & vnctionis* Lipſiæ 1740. edita.

§. LXXX.

§. LXXX.

Reſtat in conſideranda athletarum diæta, vt circumſpiciamus, quo modo ſe geſſerint aut adſueuerint aeris mutationibus & animi affectibus tolerandis, in quo breues erimus, ne nimium excreſcat diſſertatio. Et aeris quidem rationem in gymnaſiis exſtruendis, ad loci commoditatem, fuiſſe habitam, quiuis facile intelligit. Sed non prorſus abiectam fuiſſe hanc curam, præſertim apud Romanos, ex eo apparet, quod ludos pro gladiatoribus maximos Capuæ & Rauennæ habuerunt, ex quo, de Rauenna quidem agens, magnæ ſalubritatis argumentum STRABO a) auſus eſt deſumere. Ceterum athletas Græcorum aeri qualicunque ferendo & maxime calori tolerando fuiſſe inſigni modo aptos, ex eo facile apparet, quod in olympicis ludis, vbi per totum diem decertabatur, æſtum tantum perferre potuerunt. Illæ autem ſolemnitates celebrabantur media æſtate, quando calor eſt intenſiſſimus. Frigus autem nonminus tolerabant, quippe nudi per totum fere annum, aut leuiter ſaltem veſtiti, exercitabantur & noctem ſæpe etiam nudi ſub dio exigebant. Non diſſimulat hoc EPICTETVS ad ſuum olympicæ coronæ candidatum ita differens: δεῖ σε γυμνάζεσθαι πρὸς ἀνάγκην ἐν ὥρᾳ τεταγμένῃ, ἐν καύματι, ἐν ψύχει: *Debes ex neceſſitate exercitationes ſubire, ad calorem, ad frigora.*

a) *libr. V. pag.* 213. *Locus*, inquit, *adeo ſalubris eſt, vt ibi gladiatores ali atque exerceri iuſſerint principes Romani.*

§. LXXXI.

Animi etiam affectus, quod mireris, curæ habebant, & maxime iram compeſcere quauis ratione ſtudebant, de quo nos SENECA, libro de ira, certiores reddit. Cum enim viderent iram ipſis maxime obeſſe, ad finem artis obtinendum & æmulum deuincendum, excandeſcentem illam ſtudioſe curabant ſupprimere. Et erant ſane plurima, quæ ipſis occaſionem ſe hic exercendi ad patientiam ſuppeditabant. Taceo quæ toti inſtituto aderant incommoda, ſatis grauia homini ſibi viuere adſueto: illud certe non leue fuit, ſi quid peccatum eſſet, cædi flagellis, μαστιγωθῆναι, vt EPICTETVS auctor eſt, aut rhododaphnis tergora percuti, vt GALENVS loquitur. Ad hæc intuitus EPICTETVS ita pergit futuro athletæ difficultatem artis exponere: δοκεῖς ὅτι ταῦτα ποιῶν ὡσαύτως δύνασαι ἐσθίειν, ὡσαύτως πίνειν,

ὁμοίως

ὁμοίως δυσαρεστεῖν; ἀγρυπνῆσαι δεῖ, πονῆσαι, ἀπὸ τῶν οἰκείων ἀπελθεῖν, ὑπὸ παιδαρίου καταφρονηθῆναι, ἐν παντὶ ἧττον ἔχειν κ. τ. λ. *Putaſne te, quando hoc vitæ genus aggreſſus fueris, perinde vt nunc poſſe edere, bibere, auerſari? Vigilare oportet, laborare, domo excedere, a puerulo contemni, in omni re inferiorem aliis eſſe, cetera.*

§. LXXXII.

Mentio facta eſt τῶν ῥοδοδάφνων, quam vocem GALENVS a) in tam dubio ſenſu poſuit, vt inde interpretes, aliique eruditi, mirum in modum inter ſe diſſideant. Forte ad rem aliquid faciet, ſi ſummam earum opinionum ex doctiſſimis IO. RHODII ad SCRIBONIVM LARGVM *notis* proferam & de meo aliquid ſubiungam. Fuere, qui putarent, hoc frutice flexili (intelligunt autem illum, qui notiori nobis vocabulo rhododendron ſeu nerion appellatur) tergora athletarum cæſa fuiſſe, vt, pleniori habitu, veluti ſcarificatione, ſanguis eliceretur. Sed hæc eſſet moleſta ſane ſcarificatio & cucurbitulis ac ſcalpello commodius ad hunc finem perueniri poterat: Alii ad venuſtatem nudis decertantibus conciliandam floribus fruticis huius terga infecta fuiſſe credunt; ſed hiſtoria ſilet: alii ad ruborem eſſe percuſſos athletas putant, vt ſanguis magis attraheretur, habitioresque fierent: RHODIVS denique foliis, tamquam ſtrigili, a ſordibus palæſtræ eſſe fricando depurgatos ſentit, non tamen repugnat, ſi cui præcedens ſententia magis arrideat. Enimuero mihi, Galeni mentem conſideranti, clarum videtur illud, inter miſerias athletarum hoc referri, quod rhododaphnis eorum terga diſrumpi debeant. Ex hoc ita ſubduco rationes meas, inſtrumentum pœnæ fuiſſe, quo in illos animaduertebatur, qui vel ſegniores eſſent, vel aduerſus inſtituti leges quicquam admiſiſſent. Siue igitur illud vere ex frutice hoc deſumtum fuerit, vel homonymia aliqua, vt in artis terminis non eſt infrequens, nomen hoc ſimul illud inſtrumentum & illum fruticem ſignauerit: parum refert. Notum eſt, hodie cuiuis fere militum generi ſuas eſſe pœnas, multum ſæpe inter ſe & ab aliorum hominum pœnis diſcrepantes. Ita Romanorum militum pœna erat vite percuti, ſi extra ordines deprehenderentur. PLINIVS b) de eo ſic ſcribit: *centurionum in manu vitis atque etiam in delictis pœnam ipſam honorat:* & LIVIVS, c) *Scipio*, inquit, *quem militem extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet, vitibus cædebat, ſi extraneus, fuſtibus.* Quid impedit, quo minus idem de athletarum pœnis ſtatuamus? *Galenum*

autem,

autem, qui tempore eo ſcripſit, quo hæc erant notiſſima, nemo accuſabit, ſi nobis obſcurius hæc, non tam medica quam domeſtica, tradidiſſe videtur; accuſandus autem maiori iure eſſet, ſi tot locis, vbi athletarum res, ad medicam conſiderationem aliquo modo pertinentes, exponit, nullibi rem, tanto conſilio ſuſceptam, ex merito perpendiſſet, ſi omnino ſanitatis, aut comparandi habitus aliquem habuiſſet finem. Apud SVIDAM in voce λυγιζόμενος iſta legimus: τινὲς δὲ καὶ τὸ μετά τινος τιμωρίας βασανίζειν, λυγίζειν. καὶ αἱ μάστιγες, αἷς οἱ ἀθληταὶ τύπτονται, λύγοι καλοῦνται. Iam notum eſt, quod λύγος in genere ſignificet vimen ſeu virgultum flexile, in ſpecie illud vegetabile, quod viticem Latini, noſtrates, mira tautologia, agnum caſtum appellant. Plura de rhododaphne, & diuerſam a noſtra ſententiam de eo, quid epiſtatas mouerit, vt hunc potiſſimum fruticem in caſtigandis athletis adhibuerint, memini me legere apud medicum omnis antiquæ doctrinæ quondam callentiſſimum, MICH. FRID. LOCHNERVM in eruditiſſimo libro de *nerio ſ. rhododaphne*, quem hæc ad prælum renouanti non ad manus eſſe doleo. Hoc memoriæ ſuccurrit, quod ex PTOL. HEPHAESTIONE d) inſignem locum indicet, vnde cauſa quædam ad athletas ſatis prope pertinens colligitur.

a) *orat. ſuaſoria ad artes.*
b) *H. N. XIIII. cap.* 1.
c) *lib.* 57. *epitom.*
d) apud PHOTIVM *Cod. CXC. p. m.* 478. *edit. And. Schotti.*

§. LXXXIII.

Quum plura ſint in diæta & viuendi toto genere ac inſtituto athletarum, quæ non inutiliter forte poſſent huc transferri; pedem tamen conſulto hic ponere conſtitui, vt reliqua tempeſtiue ſubnectam, nec terminos conſtitutos nimis transgrediar. Illud, antequam finem huius ſermonis faciam, admonere volo, me hic in conſideranda re athletica ad viros potiſſimum reſpexiſſe, & quæ in eos quadrarent, adduxiſſe. Quod, ſi quis attenderit, vitium mihi non imputabit, ſi quis forte apud PLAVTVM legerit:

Ante ſolem exorientem niſi in palæſtram veneras
Gymnaſii præfecto haud mediocres pœnas penderes,

& in noſtris inuenerit ſomnum in longam diem athletis frequentem fuiſſe. Erant enim, vt apparet, diuerſæ puerorum a virilibus exercita-

ercitationibus & ab vtriſque eorum, qui media inter hos ætate conſtiterant, diuerſa autem ſingulis quoque inſtituta, diuerſiſſima diæta. Huc ſemper oportet reſpicere. Adſcribam de puerorum certaminibus elegantem PLVTARCHI a) locum: παρ' ἡμῖν καθ' ἕκαστον ἄθλημα τοὺς ἀγωνιζομένους εἰσάγουσιν ἐπὶ παισὶ παλαισταῖς ἄνδρας παλαιστὰς, καὶ πύκτας ἐπὶ πύκταις, ὁμοίως καὶ παγκρατιαστὰς. ἐκεῖ δὲ, ὅταν οἱ παῖδες διαγωνίσωνται, τότε τοὺς ἄνδρας καλοῦσι. *Apud nos* (Romæ) *in ſingulis concertationibus introducunt poſt pueros luctatores, viros luctatores, & pugilibus ſufficiunt pugiles, itemque pancratiaſtis pancratiaſtas: ibi autem* (in Olympiis) *vbi decertauerunt prorſus pueri, viros demum vocant.* Similiter quæ de tempore exercitationum dicta ſunt, debent de ordinaria illorum vita capi. Alioquin GALENVS b) de extraordinaria exercitatione ita nos docet: *Athletis neceſſe eſt, (quo ad immodicos labores, etiam toto die aliquando continuandos, præparato iam corpore ſint,) abſolutiſſimum illud exercitium, (ipſi* καταϲκευὴν *vocant) ALIQVANDO obeant.*

a) *Sympoſ. lib. II. probl. 5.*
b) *de ſanitat. tuenda lib. III. c. 2.*

§. LXXXIV.

Abſoluimus de diæta athletarum, in quo ſermone multa debuimus ſilentio prætermittere, quæ ab aliis minus recte dicta ſunt, ne volumen pro diſſertatione enaſceretur. Sed id vnicum præiudicium non eſt prorſus reticendum, ordinem nullum aut perpuſillum athletas in comedendo ſeruaſſe, vt & temporis nullam rationem habuiſſe, quod ſummo viro HIERONYMO MERCVRIALI a) excidit. Tantum vero abeſt, vt hac fuerint negligentia, vt nullum vitæ genus magis fuerit ſtrictæ & menſuratæ rationi cuidam, a gymnaſta dirigendæ, obnoxium, quam hoc ipſum athletarum. Et hæc ratio fuit, quare ab antiquis crebro exagitatum illud legimus & reprobatum ab illis, qui ſe muneribus Reip. gerendis, aut militiæ, dedicauerant. Nulli comparandum heic eſt PLVTARCHI b) teſtimonium, qui *Philopœmenem* propterea narrat gymnaſticam fugiſſe vitam, quin, in poteſtate conſtitutum, contumeliis affeciſſe, quod iuuenis ab amicis perceperat, militarem ab athletica vita ſecundum omnia abſolute differre; athletarumque diætam, exercitationes, multum ſomnum, continuas repletiones, ſtricta lege præſcriptas corporis quoad motum & quietem viciſſitudines, habitus denique, ab omni noua re incidente, ſubito metuendas alterationes, cum ſollicita omnis exceſſus fu-

fuga; hæc, inquam, omnia ſic conſtituta eſſe, vt minime iuuent hominem, qui deberet omnibus perferendis idoneus eſſe, & non ſolum quouis tempore motibus ſuſcipiendis continuandiſque paratus, ſed inopiæ etiam & defectui ciborum ac potus, ſi res ita poſtulet, quam maxime adſuetus. Idem quoque apparet, ſi quis in Hippocrate & Galeno attendit, quoties hi ſibi opponant τὸν ἰδιώτην i. e. hominem ſuo ritu ſuaque libertate viuentem, & athletam, ad neceſſitatem ac præſcriptum magiſtri vitam inſtituentem.

a) *art. gymn. lib. I. cap. XV.*
b) *vit. parall. pag.* 357.

§. LXXXV.

Rectiſſime id vidit Italiæ medicorum decus BAGLIVVS, a) qui eo loco, quo in diætam Pythagoreorum incidit, hanc breuibus verbis ſic complectitur: *ſingulæ diei horæ ita diſtributæ erant, & victui ita accommodatæ GYMNASTICE, vt quilibet, vel negotioſus homo, nihil a negotioſa vita detrimenti caperet.* Qui tamen ipſe locus ita intelligendus eſt, vt athletica ſeu gymnaſtica vita, cum laudata Pythagoreorum diæta in ſtricto dimenſoque vitæ genere tantum conueniat, quum de reliquo, ſi finem præſertim ſpectes, toto inſtituto inter ſe diuerſa ſint. Nam athletæ corpus maxime habebant curæ; hi vnice quærebant, ne animo corpus foret grauis carcer: athletæ magnam carnium comparare ſtudebant molem; hi, PYTHAGORA b) iubente, fugiebant σαρκῶν πλεονασμόν.

a) *de fibr. motr. p. m.* 180.
b) confer DIOG. LAERTIVM *vit. Pythag. p. m.* 582.

§. LXXXVI.

Audio iam voces quorundam, qui Caſſianum illud: CVI VSVI? ingeminant, & quærere videntur, quare tam longa opera de re diu obſoleta nunc diſſeruerim & plura etiam animo voluam? Hos vero, ſi ignorant hiſtoriarum, in omni diſciplinarum genere, luculentiſſimum fructum, longo ſermone vincere nunc non licet; miſeret potius eorum, quorum cœca ſtudia triſti præſagio relinquenda ſunt. Vtile enim hoc genus hominum nihil putat, quam quo maxime ad empiricam praxin armantur, vt quam primum in mundum omnem proſiliant, iis operam laturi, quos fortuna ſeruare,

 eorum-

eorumque imperitiæ victimas cadere nondum voluit. Si tamen bono animo quærunt proxime inſeruitura, non carent ſane optimorum virorum optimis ſcriptis, iisque vtiliſſimis. Hos legant & ab iis mecum diſcant; quamdiu volent; tamdiu autem velle debebunt, quoad eos, quantum proficiant, non pœnitebit. Ita vero oculis cernent, quam crebro ad Hippocratem, alioſque veteres, ablegentur. Quos, ſi per ſe intelligunt, non indigent ſane huius generis lucubrationibus: ſi vero alicubi hærent, commode licebit, quando placet, ad talia recurrere. Ex ipſis vero artis ſalutaris coryphæis & principibus neminem, ſpero, reprehenſurum illud propoſitum meum, hiſtoriam medicinæ paullisper perluſtrandi, &, ſi occaſio ſic feret, publicis ſpeciminibus, pro virium modulo, exhibendi. Faueat modo DEVS huic conſilio, vt non ſolum, quæ nunc prætermittenda ſunt, *de habitu athletico*, proxime addam, ſed plura deinceps exequi quoque valeam.

SVPPLEMENTVM.

§. LXXXVII.

His ante annos XXV. ſcriptis adiungemus, quæ pertinent ad intelligendum, quid ſit habitus athleticus aut gymnaſticus. Significat autem habitus, in ore & libris medicorum, diſpoſitionem aliquam corporis confirmatam, diuturno vſu acquiſitam. Eſtque vocabulum notionis, vt in ſcholis loqui ſolemus, mediæ, quod æque aliquid laudabile ac vituperandum denotat. Græcis dicitur ἕξις, cui, vt FOESIVS æque ac GORRAEVS docent, opponuntur διάθεσις & σχέσις, quibus vocabulis HIPPOCRATES aliquoties vſus eſt. Enimuero GALENVM in hoc ſequuti ſunt, qui ex Peripateticorum vſu rem ita definiuit. Dubito autem, an probari poſſit, quod διάθεσις ſit aliquid habitu inferius. Ipſemet certe GALENVS a) quando habitum, ἕξιν, dicit eſſe διάθεσιν μόνιμον καὶ δύσλυτον; adeoque tamquam genus ponit, cui competat durabile & non facile diſſolubile; non videtur iſte contendere, quod διάθεσις, *diſpoſitio*, ſemper ſit aliquid, quod nondum mereatur habitus nomen. Atque adeo quando HIPPOCRATES, b) Ariſtotele antiquior, & ipſius legibus nondum adſtrictus, ſibi opponit διάθεσιν ἀθλητικὴν & ἕξιν ὑγιεινήν, vtrobique habitum

bitum intelligit; ſcilicet athleticum, arte inductum; & hominum ſecundum naturam recte valentium, qui corpora ſub laboribus victuque quotidianis firma & ſana poſſident, quamquam nullis ſeſe legibus artis cuiuſdam comparandi habitum manciparunt.

a) libro *ad Thraſybulum, vtrum ars tuend. ſanitat. ad medic. an ad gymnaſticam pertineat. cap. IX.*

b) *de alimentis pag.* 382. *ed. Foeſ. Geneu.*

§. LXXXVIII.

Quum autem varii ſint habitus, aliique ad mentem pertineant, ſiue in intellectu, ſiue in voluntate reſideant; alii ad corpus referendi ſint: habitus vtique gymnaſticus ſeu athleticus medicis denotat aliquam diſpoſitionem corporis humani ad agendum & perferendum, longa exercitatione & vſu per gradus & conſuetudinem comparatam, inque actionibus potiſſimum naturalibus & voluntariis elucentem, in partibus autem tam ſolidis quam fluidis fundatam, qualis in aliis, non æque exercitatis & adſuetis, haud pariter deprehenditur. Dixi autem de medica conſideratione. Nam ſi quis ipſam artem athletarum, vt luctatorum, pancratiaſtarumque, vt & ceterorum, quos ſupra vidimus, ſpectare velit, inueniet vtique in ſingulis certas quaſdam regulas, quarum obſeruatione ad victoriam de aduerſario obtinendam inſtruebantur: quæ vtique ratione duce applicandæ ſuo loco & tempore erant. Ex quo conſequitur, artem athleticam, ſeu habitum per comparatas vires, legitime adhibitas, victoriam conſequendi, non excludere mentis attentionem & occupationem. Verum hæc cura medicum non tangit, ſed ad illius artis magiſtros vnice pertinet.

§. LXXXVIIII.

Solent porro medici, ſub habitus denominatione, comprehendere totius corporis in oculos aut tactus ſenſum incurrentes qualitates, vt colorem, denſitatem aut mollitiem, læuitatem vel ſcabritiem, & id genus alia. Atque hæc vel potiſſimum in athleticis hominibus ſpectata, & ab iis exquiſita fuiſſe, vel ex eo certum eſt, quod gymnaſtæ ſibi hoc potiſſimum tribuerint, procurare ſanis hominibus bonum & virilem habitum, in quo omnia, quæ laudare Græci conſueuerant, adeſſent. Promittebant itaque τὴν εὐεξίαν ſuo inſtituto procurare & conſeruare: viciſſim autem amiſſam illam & ablatam reparare,

re, & τὴν καχεξίαν, id eſt prauas & exoſas in colore ac reliqua ſuperficie qualitates corrigere, potisſimum illi pollicebantur, qui medicinam gymnaſticam excogitauerant. Quumque gymnaſticæ rei illud maximam commendationem afferret, quod homines perſuaſi erant bonum, immo optimum, corporis habitum aliunde, quam ab exercitatoribus illis, certius peti & exſpectari non poſſe: hoc effeciſſe videtur, vt medici cogerentur aduerſus illam perſuaſionem diſputare & oſtendere, quantum ille habitus, ab inſtituto gymnaſtico productus, ab optimo habitu diſtaret: quantumque illi oculis & ſenſibus blandienti athletarum habitui adiunctum ſit vitioſitatis, quod reliquam valetudinem omnemque vitam deinceps læderet, hominesque plurimos reipublicæ ineptos ac inutiles redderet. Pluribus id locis magno ſtudio facit GALENVS, ſed ex inſtituto id egiſſe videri debet libris, qui ſuperſunt, *de optima noſtri corporis conſtitutione* & *de bona habitudine*: vt & *ſuaſoria ad artes oratione*, qua omnes eloquentiæ, qua pollebat vir iure celebris, neruos intendit, vt adoleſcentes a re gymnaſtica auocet & retrahat.

§. LXXXX.

Atque vt hinc incipiamus, quod prima hominum ad ſtudia athleticæ rei incitatio fuiſſe videtur, perſuaſum Græci habebant, virilia corpora maxime dedecere nitidam cutem, albumque in ea colorem, quem ſummo viris dedecori imputabant. Traducebant itaque Aſiæ populos, vt molles & effeminatos: legimuſque duces Græcorum captiuos iſtiusmodi gentium nudos ſuis exhibuiſſe ſpectandos, vt diſcerent contemnere homines in vmbra educatos, albos & nitidos, a quibus nullum virtutis & fortitudinis bellicæ documentum exſpectari poſſet. Ipſi vero, qui toto anno capite nudi incedebant, quotquot certe liberi erant, talem in toto corpore probabant laudabantque colorem, qualem facies eorum contrahit, qui ſub dio, nullo muniti tegmine, verſantur. Quare ſuos quiſque filios, quam primum per ætatem licebat, adducebat ad exercitia nudo corpore ſubeunda: æſtate quidem ne nimio calore in ſudorem reſoluerentur, nimiſque cito deficerent; quod ſub veſtibus exercitatis nimis cito accidit: hyeme vero, quæ in Græcia & breuis & minus vehemens eſt, vt indurarentur, atque laboribus vincere frigus cuti allabens compellerentur. Atque ſub illa conſuetudine nudum ſolem excipiendi cum alia durandis corporibus proficua conſequebantur, tum illum,

quem

quem in ſe expetebant, virilem colorem, vbi ſubfuſcus viuida rubedine diſtinguitur. Nolo hic cumulare teſtimonia: ſufficiet tamen hic legere LVCIANVM in *Anacharſi*, ſeu *de gymnaſiis* libello, qui omnium, quæ ab hoc viro profecta ſunt, minime nugatorius haberi debet.

§. LXXXXI.

Talem quum requirerent corporis habitum, improbabant vtique illum obeſorum & pinguium hominum, in quo albus color prædominatur, & rubicundum ſupprimit. Cupiebant itaque carnium quidem multitudinem & toros ac lacertos exſtantes: minime autem inter cutim & muſculos aceruatam pinguedinem, quæ obſcuraret muſculorum ad motus intenſorum eleuationem. Notum eſt inter omnes, quanta laus ſit antiquorum ſignorum & ſtatuarum, ſi in ſingulis notentur eorum muſculorum, qui quemuis motum & actionem quamuis edunt, proportionata exſtantia & ſpectabilis tumor: quo vno ſigno periti dignoſcunt vetuſtorum artificum opera a recentiorum aut prauorum artificum vilibus operibus. Id vſque adeo poetæ imitantur, quando verbis pingunt perſonas, quas decantant, earumque actiones. Ex quo elucet, quam acres corporum, quæ nuda in actionibus quotidie ſpectabant, arbitri iudiceſque fuerint veteres artifices: quantumque viciſſim admirabilia ipſorum naturæ imitamenta potuerint, in perſuaſione de vera virilis & maſculi ac heroici corporis pulchritudine rite æſtimanda. Quotquot igitur ſcripſerunt auctores de athleticorum corporum habitu, in illo præcipue commemorant σαρκῶν πλεονασμὸν, carnium, id eſt muſculorum, copiam & magnitudinem conſpicuam, atque ſanguinem multum, quo vaſa intercurrentia replentur & diſtenduntur. GALENVS a) loco, quo athletas maxime vituperat, ita in hanc rem ſcribit: *videas athletarum plures, quibus ante ſatis apta eſſet membrorum compages, a gymnaſtis exceptos ſaginatoſque & in molem carnis ac ſanguinis auctos, in diuerſam formæ rationem traductos.*

a) *Suaſoria ad art. oratione p. m.* 14. edit. Lugdun. 1550.

§. LXXXXII.

Toroſum autem illum & muſculoſum corporis habitum præcipue expetebant, quia hæc nouerant eſſe inſtrumenta, quorum ope peragi debent illi motus, quibus vincere alios atque excellere cupiebant.

bant. Dicerem ſanguinis etiam copiam in vaſis ſuis eos expetiiſſe, quoniam muſculis fortem actionem edituris copia irruentis ſanguinis opus eſt; ſi crederem illos iſtud ea ætate ſatis recte intellexiſſe. Sed intuiti tamen illud in aliis, ſi non tamquam cauſam cognouerunt, haud tamen ignorauerunt τὸ ὅτι, ſeu quod ita fiat, & magnum robur humorum inſignem ac conſpicuam copiam requirat. Quod tamen omnes athletæ æque toroſi, ac muſculis tantum macti, non autem ſimul pinguedine circumfuſi fuerint, equidem non dixero. Quanta enim in hac re differentia, ſecundum corporum diuerſitatem, intercedat, probe a veteribus intellectum & a GALENO a) inculcatum memini. Nimirum quibus venæ ſunt anguſtæ ſed plures, habitum pinguem ac craſſum colligunt: quibus vero ſunt vaſa latiora & ampliora, hi raro craſſi & pinguedine onerati euadunt, ſi copioſo alimento proportionatos motus & labores adiungant.

a) *de temperament. libr. 2. cap. 4.*

§. LXXXXIII.

Qui ſe multis ſuccis & ſanguine copioſo ad robur indigere probe iutelligebant, horum colligendorum cauſa debebant vtique plurimum alimenti capere, & talis quidem, quod experiendo cognitum erat maxime ad finem conducere. De eo quidem ſupra abunde diſpeximus. Nunc tantum paucis immorabimur conſiderandæ conſuetudini, quæ in voracitate & bibacitate etiam habitum valet inducere, ſi a paruis initiis per gradus adſcendatur. Mira ſunt, quæ apud vetuſtos auctores relata leguntur huius rei ſpecimina. ATHENAEVS a) ex antiquiori ſcriptore de Milone Crotoniata refert, quod carnium viginti libras, & panis totidem libras, vna cœna comederit, vini autem tres congios ſuperbiberit, qui libras Romanas triginta æquant. Atque idem auctor de Aſtydamante Mileſio, ter in olympiis victore, narrat, quod apud Ariobarzanem, Perſarum ſatrapam, ſpecimen polyphagiæ ediderit, ſolusque omnia conſumſerit, quæ nouem conuiuis in cœnam apparata & appoſita fuerant. Plura huius generis exempla apud eundem licebit recognoſcere. Herculem imitari ſe, etiam in voracitate apud omnes decantata, pulchrum ducebant, qui roboris & virium magnitudine ad ipſum proxime ſtudebant accedere.

a) *Dipnoſophiſt. lib. X. ineunte.* Hæc quidem, tamquam rariſſima exem-

exempla, poſteritatis memoriæ mandata fuiſſe, quiuis facile cognoſcit: omninoque ita intelligendum eſt, quod in ſumma ἀκμῇ eo vſque progreſſi fuerint. Tirones vtique minus adſumſerunt. De his requirenti veterum teſtimonia, nullum ſuccurrit, quam quod HIER. MERCVRIALIS ex GALENO *de dignoſc. pulſibus II. cap. 2.* adduxit, *carnis minas duas paucum cibum athletis fuiſſe.*

§. LXXXXIIII.

Nihil itaque mirum videri debet, ſi ita ſemet cibo implentes, eumque multo ſomno concoquentes, maxima ſuccorum copia fuerunt repleti. Sed et hic ſingularis apparet talium corporum habitus per conſuetudinem acquiſitus; quod tantam omnis generis meatuum repletionem tolerare potuerunt et per annos perferre. Verum hic conſiderandum eſt vtique, quantum quotidie per duros & grauiſſimos labores conſumſerint, quod per tranſpirationem, inſenſibilem æque ac ſub exercitatione ſenſibilem, et vſque ad ſudorem intenſam, difflatum aut per vrinæ vias expulſum fuit. Oportet itaque omne vaſorum genus inſigniter fuiſſe apud eos expanſum et fibrarum ipſarum carnoſarum, quæ muſculos conſtituunt, caua ſpacia, ſanguini multo recipiendo idonea fuiſſe reddita, vt tantas vires poſſent exſerere. Præcipue autem pulmones eorum inſigni oportet fuiſſe modo ad expanſionem maiorem et diuturniorem adſuetos, vt non diſrumperentur ſub conatibus ſummis, quos aere retento et intus concluſo in maximis certaminibus adhibebant. Sed hanc in athletis parum conſideratam a veteribus medicis rem mirari ſubit: quum eius crebram quidem mentionem fieri, tamquam apotherapiæ admodum neceſſariæ et proficuæ, videam: quantum autem in ipſis laboribus, maximo niſu peragendis, requiratur, a nemine conſideratum adhuc inuenerim. Aliquoties de effectu aeris intus cohibiti Galenum loquutum memini, ſed ſemper agentem de illis, qui ſe cantando, vociferandoque aut tibiis inflandis exercent: qui homines, quamquam pro ipſis etiam erant conſtituta certamina, ad athletas tamen non pertinent: quare nec plura de illis adiiciam. Vt autem intelligamus, quam multum ſe aere retento et tempeſtiue emiſſo iuuari ſenſerint athletæ, facit locus quidam CICERONIS, a) quem conſideratione dignum exiſtimo.

a) *Tuſculan. quæſt. II. cap. 23. Nec vero vmquam ingemiſcit quidem vir fortis ac ſapiens, niſi forte vt ſe intendat ad firmitatem. Vt*

in ſtadio curſores exclamant, quantum maxime poſſunt. Faciunt idem, cum exercentur, athletæ. Pugiles vero, etiam cum feriunt aduerſarium, in iactandis cæſtibus ingemiſcunt: non quod doleant animoue ſuccumbant, ſed quia profundenda voce omne corpus intenditur, venitque plaga vehementior.

§. LXXXXV.

Progredimur ad videndum, quomodo athletica corpora ad excretiones ſe habuerint. Tanto autem breuiores hic erimus, quo magis hæc facile cognoſcuntur ex illis, quæ de crebris ac prope quotidianis vomitionibus, et enematibus iniectis, longo ordine diximus. Scilicet qui in aſſumendis alimentis quotidie longius progrediebantur, non poterant non a ſomno, quantumuis longo, exſurgentes cruditates multas intus contentas ſentire, indeque ructus, inflationesque experiri. Ventriculus enim, æque ac inteſtina, iſta aſſumtorum copia multum extendi debebant: ſub qua expanſione rugoſitas tunicæ ventriculi interioris, ſi non plane auferebatur, multum tamen debebat imminui. Illæ autem rugæ non parum faciunt ad celeriorem & feliciorem aſſumtorum emollitionem et comminutionem, quoniam inter illas contenta tam calore, quam ſubtiliſſimi ex tunica villoſa exhalantis fluidi acceſſione, a pluribus lateribus promte penetrantur. Si autem, quantum fieri poteſt, expanſus & planus eſt ventriculus, non niſi ab vna parte aſſumta attinguntur ab iſta tam nobili tunica; quo fit, vt tardius tantiſper fiat & ſuccedat ventriculi in ſua contenta operatio, donec, magna parte in duodenum expulſa, ventriculo motu ſuo periſtaltico, quem amplexatorium latine diceremus, poteſtas redditur ſeſe arctius conſtringendi, et in reliquo opere celerius progrediendi. Eius autem operis, vtpote ab initio retardati, exitum quum non liceret exſpectare: quoniam inſtituti lege ad horas certas adſtringebantur: opus erat cruditates ventriculo per artes ſupra expoſitas ſubtrahere.

§. LXXXXVI.

Quod qui diu faciunt, ſibique habitum longo tempore conſciſcunt, haud facile deinceps illum mutabunt: quin potius gulæ & ventris habitus, cum praua cupiditate ſemper conſpirans, comitabuntur ita ſemel profunde imbutos. Manebit itaque crebra, ſi non perpetua, ventriculum per ſuperiorem viam exonerandi neceſſitas, omninoque pauci ad temperantiæ legem, per tardos gradus, reuocabun-

buntur. Pariter etiam inteſtina, præſertim craſſa, ad ventriculi expanſionem proportionato gradu reſpondebunt, atque quantum capacitate aucta ſunt, tantum celerem promotionem & expulſionem contentorum morabuntur. Hinc neceſſitas exorta eſt hominibus, ab experientia edoctis, quantum lædantur, qui non euacuati ad motus fortiores veniunt, eoſque continuant, cogitandi de excluſione fæcum arte quadam adiuuanda & acceleranda. Non minus autem hanc, quam alteram, de qua prius dicebamus, artificialem euacuationem, in hominibus per annos ea vſis, habitualem fieri, facile intelligitur. Idque tanto magis videtur euenire debere aluis eorum, qui multa aſſumere per complures annos ſoliti, deinde ad temperatiorem diætam redire inſtituerunt: quibus pauciora aſſumta, per canales longo tempore amplificatos, tardius deſcendunt, iſtaque mora exſiccantur & indurantur: vt vix videantur cito, ſi modo vmquam, ab enematum neceſſario adminiculo liberari poſſe.

§. LXXXXVII.

Qualis corporum athleticorum habitus ad ſudorem fuerit, paucis ſupra attigi §. LXXVII. Meretur autem hæc res paulo ampliorem conſiderationem. Et primo quidem pro certo atque rato ducebant, corpora debilitari, quam primum ſudare incipiunt: hacque perſuaſione ducti nihil non moliebantur, vt diu poſſent laborare abſque eo, vt ſudor erumperet. Atque huius potiſſimum cauſa nudi exercebantur, inungebantur, puluere conſpergebantur. Eſt enim manifeſtum, quod corpora veſtimentis multis contecta facilius ſudent, quam nuda, vbi exhalans per poros extremos ſerum in auras difflatur & diſſipatur. Et quod eadem cutis ſpiracula, oleo oblita & puluere inſperſo obturata, minus promte copioſeque exhalatura ſint, quam omnino aperta & libera, facile intelligitur. Quod ſi tamen alicui hæc cohibendi ſudorem adminicula non ſufficerent, atque ſudoribus diffluere inciperet, iubebant ipſum ab exercitio deſiſtere; & aliqua apotherapia vſum ad labores reuocabant. Ita igitur a prima ſtatim ætate exercitati & adſueti perueniebant ad magnum habitum, & merito admirabilem, grauiſſimum æſtum per calidiſſimos æſtatis dies perferendi & nudo capite excipiendi, abſque vlla ſudoris eruptione. Huius tolerantiæ & habitus longa conſuetudine comparati teſtes habemus, quos ſupra indicaui; quibus nunc addo integerrimum Cæſareæ quondam præſulem BASILIVM M. a) qui hanc ſacro-

crorum certaminum legem, πανηγυρικὸν θεσμὸν, laudat, qua ſanciebatur, vt, qui athletarum ſpectatores futuri in ſtadio conſiderent, nudo omnes capite eſſent, & ſic aliquam partem illius a ſolis ardore moleſtiæ, quam illi toto corpore totoque die tolerabant, in ſe experirentur.

a) *in hexaemeron orat. VI.* ineunte: τὸν ἀθλητῶν θεατὴν, μετέχειν τινὸς προσῆκε καὶ αὐτὸν εὐτονίας· καὶ τοῦτο ἐκ τῶν πανηγυρικῶν θεσμῶν ἄν τις κατίδοι, οἳ τοὺς συγκαθεζομένους εἰς τὸ ςάδιον, γυμνῇ καθῆσθαι τῇ κεφαλῇ διαγορεύουσιν. Certum autem eſt, nobiliſſimum inter certamina ſacra agonem Olympicum celebratum fuiſſe plenilunio eius menſis, qui proxime ſecundum ſolſtitium æſtiuum incipit. Ab his celebritate proxima Pythia vere iam præcipitato agebantur. Ceterorum tempora mihi non æque explorata videntur.

§. LXXXXVIII.

Ad hanc corporum habitudinem, ſudoribus non faciliſſime diffluendi, etiam vbi maximos ſolis ardores perferunt, atque vna duros labores tolerant, diſpoſitionem corporum ſub calidis climatibus natorum atque educatorum aliquid conferre non negauerim: ſed plurimum a veſtitus ratione pendere, mihi videtur certiſſimum. Memini me ſubinde legere in Europæorum, ex Africa & Aſia ad nos reducum, deſcriptionibus ſuorum itinerum, quod non ſatis mirari potuerint illorum, inter quos peregrinati ſunt, barbarorum duritiem in ſolis æſtu perferendo, quum ſe per æſtuantes arenas, lecticis ſuis impoſitos, alacriter geſtarent, & vbi tantillum requieſcendi ſpacium concedatur, in feruidiſſima arena conſiderent, neque tamen ſudarent, quum interea Europæus, lectica tectus, & ſuper illam vmbraculo amplo inſuper poſito, totus æſtuaret & ſudore perfunderetur. Non inutilis hæc cogitatio, de tam diuerſo hominum habitu, nobis videtur, vt medicorum, qui obſeruationes ſuas inter homines tali corporum conditione præditos condiderunt, ſcripta melius intelligamus. In talibus certe, vt vnicum adducam exemplum, criticus ſudor, morbum acutum ſalutariter finiens, non videtur eadem lance pendendus, quo ſolet ſudor noſtri climatis hominibus, quando ægrotant, facile & copioſe profluens, ſed raro tam conſpicue leuans.

§. LXXXXVIIII.

Progredimur ad æſtimandum habitum athleticum, ſeu illum, qui in hominibus ad certam legem exercitatis & nutritis, tandem enaſci-

enaſcitur. Ad quem diiudicandum præſtabit veterum, qui inter tales vixerunt homines, medicinæ antiſtitum audire & legere iudicia, quam recentiorum, qui nullum vmquam oculis conſpexerunt athletam. Hos inter principem audiamus HIPPOCRATEM, a) qui in hunc modum ſcripſit: ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ᾽ ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν; *habitus exercitatorum, qui ad ſummum bonitatis gradum peruenerunt, periculoſi ſunt, ſi in extremo conſtiterint.* Quum vix quiſquam dubitaturus ſit, quin exercitatores & athletæ vni iidemque ſint; manifeſtum eſſe puto, quod ipſis tribuatur εὐεξία, bonus habitus, talis ſcilicet, qui, ſiue partes ſolidas æque ac fluidas ſpectes, ſiue ea, quæ corpus ſanum conſequuntur, & ab eo profluunt, vt actiones, nullum vitium, intemperiem nullam, cacochymiam nullam, neque quicquam, quod in qualitatibus externi ambitus offendere ſenſum poſſit, ſecum ferat. In quo a GALENO eum diſſentire iam ſupra §. LXXXVIIII. indicauimus. Enimuero, quum is ex inſtituto vituperet artem & inſtituta athletarum omnia, non medicum, ſed oratorem egiſſe illis locis cenſendus erit: præſertim quum in ſuo ad noſtrum textum Hippocraticum commentario æquiorem ſe illis præbere videatur.

a) *aphoriſm. 3. ſection. 1.*

§. C.

Qui itaque habitui athletarum ſuam bonitatem aſſeruit, ſi infra ſummum gradum ſubſiſtat: eundem periculi plenum eſſe docet, ſi ad ſummum bonitatis gradum peruenerit & in eo conſiſtat. Atque adeo vitium eſt in nimis bono, ſeu potius in nimio bonorum ſuccorum. Nam Hippocratem hic nihil accuſare in ſolidis, eſt manifeſtum ex ea ratione, qua ſuum aſſertum confirmat: & ex conſilio, quod ad periculum a corpore ſubmouendum proponit. Audiamus ipſum porro diſſerentem: οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ οὐδὲ ἀτρεμέειν· ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐκ ἔτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται οὖν ἐπὶ τὸ χεῖρον. *Non enim poſſunt in eodem ſtatu permanere, neque quieſcere. Quandoquidem vero non quieſcunt, neque iam poſſunt in melius progredi, reliquum eſt, vt in peius labantur.* Ait, habitus iſtiuſmodi optimos, id eſt, ſummam repletionem ab optimis & laudabiliſſimis ſuccis, non poſſe in eodem ſtatu permanere & quietem agere: ſcilicet poſito, quod ita repletus & ceteras actiones recte exercens, bene appetat, cibosque conficiat in ventriculo, chylumque in inteſtinis elaboret, qui ad humorum

maſſam deuehantur: accidere tandem debet, vt nullum aduentanti nouo alimento ſuppetat in vaſis & meatibus ſpacium, quo capiantur, quum ex copia iam antea præſente nihil ad nutriendum & augendum corpus apponi poſſit: quoniam animalia in infinitum extendi & amplificari omnino nequeunt. Nihil itaque ſupereſt, niſi vt in deterius abeant.

CI.

Non determinat, in quo ſitum intelligat illud in peius labi: quoniam multa complectitur, quæ paucis includi verbis non poſſe intelligebat. Audiamus GALENVM a) commentatorem: *cum enim vaſa cibis ac potibus fuerint ſupra modum repleta, periculum eſt, ne aut ipſa diſrumpantur, aut calor natiuus ſuffocetur exſtinguaturue: ſicuti olim & athletæ quidam, qui ad ſummam repletionem perueniſſent, ſubita morte interierunt. Nam quum ſemper natura coctionem, diſtributionem, ſanguinis generationem, adiectionem, agglutinationem atque aſſimilationem operetur: quando nihil adiici ſolidis corporis partibus poteſt, neque venæ amplius habent conceptaculum, in quod alimentum diſtributum accipiatur, tunc neceſſario periculum imminet, ne aut vas aliquod diſrumpatur, aut ſubita mors obueniat.* Nihil video, quid in hoc ſermone declaratione aliqua indigeat, niſi forte illud, quod de calore natiuo ſuffocato & exſtincto intermiſcuit, pro quo noſtro æuo clarius & rotundius dicimus, ſanguinis motum progreſſiuum, a quo omne, quod in nobis vitale eſt, pendere nouimus, derepente ſubſiſtere & feriari.

a) *commentar. ad hunc aphoriſm.*

§. CII.

Non iam multum diſputabo, an alia valetudinis vitæque pericula ad ſummum repletis athletis extimeſcenda in animo Hippocrates habuerit, vt febres inflammatorias aliaſque acutas & periculi plenas paſſiones. Sufficere videtur, quod potius acutiſſima, quam mediocria voluerit oſtendere, quoniam conſilium tale ſuggerit: τουτέων ἕνεκα τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λάβῃ τὸ σῶμα: *horum cauſa optimum habitum ſoluere confert non cunctanter, vt rurſum refectionis initium corpus capiat.* Manifeſtum eſt, quod ſuadeat talem curationem, quæ abundantis ſucci quantitatem aliquam ſubtrahat, vt capiendo nouo nutrimento locus fiat. Id vero præſtat celerrime quidem ſanguinis per apertam venam detractio, quæ, vbi ſubitanea ope ſuc-

ſuccurri debet, certiſſime iuuat: præter illam vero, & vbi res moram patitur, copioſi alimenti, tam in qualitate, quam quantitate, ſubtractio. Atque hoc vltimum non fuiſſe veteribus incognitum, exinde colligimus, quoniam Galenus alicubi ſcribit, cognitum fuiſſe, quod, ſi athletæ carnium ſuillarum loco aliæ, quamuis eodem pondere, in cœna præbeantur, imbecilliores ſe reddi illico ſentiant.

§. CIII.

Qua cautione in ſoluendo illo optimo habitu verſari deceat ne ex altera parte periculum naſcatur, ad noſtram diſquiſitionem nunc non pertinere exiſtimo: quare reliquam partem aphoriſmi intactam relinquo. Potius ad finem propero & paucula ſubiungo de iudicio prudentiorum virorum, quod de illo tot laborum & ſumtuum impenſa comparato athletarum habitu tulerint, quando illud æſtimauerunt ex vtilitate, quam res publica ab eo reportare poſſit. Inſaniebat propemodum vniuerſa Græcia ſtudio rei athleticæ, ob magna præmia, quæ is conſequebatur, qui victor ſacrorum certaminum eſſet renunciatus. CICERONE a) teſte olympiorum victoria Græcis non minor, quam Romanis conſulatus videbatur: &, eodem iudice, b) prope maius fuit & glorioſius, quam Romæ triumphaſſe. Et quamquam ab vrbe, in qua antiquo more & iure certamina peragebantur, victor præter honorificam præconis celebrationem & coronam nihil reportabat: exſpectabant tamen quemque in patria ſua, quæ ſe coronari in ciue exiſtimabat, inſignia emolumenta, & honores per omnem reliquam vitam percipienda; de quibus alio tempore copioſius dicetur. Atque hæc efficiebant, vt ſemper eſſent illarum coronarum candidati. Quod ſi accidiſſet, vt vni vrbi, non longo interiecto tempore, plures iſtiuſmodi victores ſacrorum certaminum obtingerent; non mediocri iſtud accidebat oneri reliquis ciuibus, quibus accedebat, quicquid his omnium immunitatem conſequutis demebatur. Ne dicam, quod perpetua vita ex publico ali debuerint, & egenis cenſus equeſtris ex collatis ciuium opibus colligi.

a) *Tuſculan. quæſtion. lib. II. cap.* 17.
b) *orat. pro M. Flacco cap.* 13.

§. CIIII.

Tolerabilia hæc fuiſſent, ſi magno cuidam ciuitatis bono inſeruire tam cari ciues potuiſſent. Enimuero eo res gymnaſtica ad ſummum

mum artis faſtigium deducta peruenit, quo optimus athletarum habitus ad ſummum gradum deductus. Scilicet inutiles plurimos dabat reipublicæ ciues, publico tamen ſumtu alendos: vnde graues viri inter publicas Græciæ calamitates referebant hieronicarum multitudinem. Egregii ſunt in hanc rem verſus XENOPHANIS Colophonii, quos nobis ATHENAEVS a) conſeruauit, quia autem longiores ſunt, non licet adſcribere. Potius audiemus PLVTARCHVM b) qui exercitia ad vitam militarem olim proficua ita deſcribit, vt ſponte conſequatur, neminem, quam athletam, eſſe ineptiorem ad militiam. Ita autem, de Philopoemene agens, ſcribit: *quum luctari ſcite videretur, ſuaderentque ei aliqui amici & curatores, vt ſe ad exercitationem athleticam conferret; rogauit eos, ecquid ea exercitatio militari adferret detrimenti? Qui quum id, quod erat, reſponderent, athleticum corpus cum militari omnibus partibus pugnare, præcipue viuendi rationem & exercitationem aliam eſſe: quod illi multo ſomno, perpetua ſaturitate, ſtatis motionibus & quiete augerent tuerenturque habitum, qui ex quolibet momento & exceſſu conſuetudinis eſſet ad conuerſionem lubricus: hi ad omnem debeant variationem callere & inæqualitatem, maxime vero aſſuefacti eſſe, vt facile inediam tolerent, facile etiam vigilias. Quo intellecto non ſolum ipſe eam rem faſtidiuit & deriſit Philopoemenes, verum etiam diſciplinam omnem athleticam poſtea in magiſtratu conſtitutus, quantum in ipſo erat, omni exegit genere contumeliarum & probrorum, quod appoſitisſima corpora neceſſariis certaminibus redderet inhabilia.*

a) *Deipnoſophiſt. libr. X. pag.* 413. 414. *edit. Commet.*
b) *in vita Philopoemenis pag.* 357.

§. CV.

Plura, ad hoc iudicium Plutarchi confirmandum, teſtimonia poſſent ex EVRIPIDE, ARISTOTELE, CICERONE, & præcipue GALENO, longeque pluribus aliis, proferri ſatis larga manu, niſi confideremus lectoris iudicio, quod ex illis, quæ longo ordine dicta ſunt, ipſemet per ſe collecturus ſit, talibus viris vtique committi rem publicam non poſſe, qui in exercitatione & cura corporis diem educunt, ſibique vtiliſſimum putant, lacertos ſuos & robur, cui ſe vendicauerunt, maiore temporis parte nutrire. Sed ſatis iam multum temporis datum eſt his hominibus conſiderandis: quare hoc filum abrumpimus.

DISSERTATIO II. DE ELLEBORISMIS VETERVM. HABITA

cIↃ IↃCC XVII.

PROOEMIVM.

Non minorem eſſe virtutem quam quærere, parta tueri, iam olim a ſapientiſſimis viris monitum eſt. Illud vero non tantum in rei publicæ aut familiaris recte partæ ſollicita conſeruatione locum habere debet: ſed omni etiam, & quaſi peculiari iure quodam, ad medicinam poteſt transferri. Quum enim a longo tempore magnum ſibi honorem & exiſtimationem pepererint maiores noſtri, totumque hominum genus immenſis beneficiis ſibi deuinxerint: turpe omnino eſt cuiuis tam ſalutarem artem profeſſo, ſi patitur per ſe labefactari vel minui illam gloriam diuinæ arti merito tribuendam. Et ea quidem cura, quoniam cum ſalute hominum neceſſario cohæret, numquam ex animo noſtro debet recedere, quin potius continuo nos impellere, vt omni niſu & contentione virium eo conſpiremus, vt ne ars iuuandi ſanandique vel languida & iners noſtra culpa fiat, vel noſtra ignorantia, & quæ huius filia eſt, timiditate, damnum humano inferatur generi. Quæ res omnino excitare medici mentem debet, vt omni diligentia quærat & tantos in artis ſcientia profectus, & tantam in ea exercenda dexteritatem, ne vmquam in tam atroci culpa deprehendatur. Si tamen fateri verum licet, multo iure accuſandi ſunt hoc nomine

medentium plurimi, qui vel permiſerunt, vel effecerunt, vt multorum remediorum vſus verus & genuinus, quo ſolo finis ſalutaris obtineri poſſit, obliuioni traderetur, & prorſus intercideret. Ex eorum numero non iniuſte cenſetur vtriuſque ellebori, veteribus familiariſſimi remedii, genuina & ſalutaris applicatio, cuius ingentia beneficia, in grauiſſimis & deſperatis morbis profligandis, omnes veterum loquuntur libri, omnia teſtantur monumenta, & ex iis etiam noſtro æuo propiores quidam ſincere referunt. Enimuero pauci ex iiſdem ſunt, qui magnopere laborauerint, vt tam præſtantis remedii vſus, diu intermiſſus, innoteſceret, aut tempeſtiue reuocaretur. Horum laboribus qualemcunque hunc noſtrum conatum, eruendis & exponendis elleboriſmis impenſum, coniungere viſum fuit, vt videremus, ſi qua poſſet fieri ratione, vt tam celebris olim medicinæ tutus ac ſalutaris vſus reuiuiſceret. a) Vſi autem hiſtoriarum luce, quicquid ad manus fuit monumentorum veterum excuſſimus, eorumque teſtimonia cum recentiorum etiam, quæ exſtant & obuiam fuerunt, ſententiis contulimus & in ordinem digeſſimus, vt vno quaſi conſpectu pateat, quicquid in elleboro ad priſtinam frugem reuocando doctiſſimi viri allaborauerunt. Nec decere viſum eſt accuſantium reticere voces, aut noxas ab ellebori incauto vſu annotatas ſupprimere: ſed eo magis debui etiam illas inſerere, quod hæc nocumenta in ſuam admonitionem conuertere medicum oportere mihi perſuaſiſſimum eſt. DEVM autem, medicinæ auctorem, deuota mente precor, velit laboribus noſtris eos largiri ſucceſſus, quibus deſtinati ſunt, vt in humani generis perpetuum cedant emolumentum, ſuique numinis honorem.

a) Serio tunc omnino, quum hæc ſcriberem, verſabar in illa opinione, multum ad medicinæ decus illum eſſe allaturum, qui poſſet vtriuſque veratri vſum reuocare, illumque certum omnino ac periculi expertem præmonſtrare. Enimuero fateor nunc me, poſt aliqua experimenta infidæ eorum indolis, parum elleboris tribuere, & ab vſu earum cum ipſummet abſtinere, tum alios dehortari. Plane enim exiſtimo, nobis in medicamentis ex ſtibio & hydrargyro paratis, ſi quis recte vti illis poſſit, ſuppetere, quicquid veteres ab elleboro vtroque exſpectauerunt: minorique tam dantis quam accipientis periculo hæc adhiberi. Nam ſi duro nodo cuneus ſoluendo par requiritur, mouendi & expurgandi vires in his non ſunt minores, quam in

in veratro: carent autem illis, quæ merito formidamus, ſtrangulandi viribus, atque ceteris pleriſque incommodis, quæ a veteribus in elleboro notata fuerunt.

---

§. I.

INter illa medicamenta, quæ veteribus magnum vſum præbuerunt, & fama efficaciæ ſingularis vndique celebrata fuerunt, præcipue eſt elleborus, cuius inuentionem Græci ſibi vindicant iure optimo, quum alia pleraque aliis populis debere videantur. Eſt autem Melampus, cui illud beneficium tribuunt: rem vero ſic enarrant, vt facile appareat, eum caſu potius in illud incidiſſe, quam præuia quadam conſultatione & accurato examine eo ductum eſſe. Quamuis alii, SEXTO EMPIRICO a) auctore, Melampodi illam gloriam eripiunt & ad ipſum referunt Aeſculapium; non illum quidem Aegyptium antiquiſſimum, ſed ad recentiorem, qui expeditioni Argonauticæ interfuiſſe legitur. Sed nos de perſona parum nunc ſolliciti, rem, vt geſtam eam eſſe referunt, paulisper expendamus. Hunc autem Melampodem obſeruaſſe capras, elleboro paſtas, purgari, & lac eorum adhibuiſſe ad filias Proeti regis, furore percitas, percurandas, PLINIVS b) refert, cum DIOSCORIDE c) & THEOPHRASTO ERESIO d) quibus conſentientibus vnum ellebori genus nomen accepit melampodii. Quodnam autem illud ſit, difficillime ex veterum monumentis ita clare erues, vt non dubitandi & contradicendi locus ſuperſit. Multum in hoc negotio extricando laborauit vir ſummus CLAVD. SALMASIVS, e) quem de eo argumento legiſſe iuuabit. Scilicet quum duo ellebori genera veteres commemorent, album & nigrum; quæritur non ſolum, quodnam illud ſit, quo Melampus vſus fuit: verum etiam, quibus notis a ſe inuicem disiungantur. Mihi quidem, quum eligenda ſit ſententia, placet maxime in his rebus fide dignum ſequi GALENVM f) qui clariſſime ſcribit: *affectum quendam melancholicum vocant, quem purgatione per elleborum album curare adgrediuntur. Nemo enim inter Græcos altus adeo rudis indoctuſque eſt, quin legerit vel audierit, Proeti filias furore percitas SIC a Melampode purgatas curataſque.* Quumque, THEOPHRASTO auctore, conſtet album ab ouibus, imo, vt PLINIVS addit, equis,

 bo-

bouibus & ſuibus innoxie comedatur; & eadem animalia a nigro necentur: ſane non conuenit cum antiquiſſima traditione de ellebori inuentione, quod ille niger fuerit, quum Melampodis capræ inde mori debuerint. Aſſumimus igitur, album fuiſſe primo cognitum: qui & meruit, vt nomen ellebori, abſolute nudeque poſitum, apud Hippocratem, alioſque veteres, vnice deſignet album: quem eundem eſſe, qui a botanicis noſtri æui ſub hoc nomine exhibetur, pauci dubitant. g)

a) *lib. I. aduerſus mathem. cap. XII. pag.* 271. *edit. Lipſ.* Scilicet ibi diſputans de hiſtoriarum incertitudine, exempli loco adducit varias rationes, quas varii tradiderunt, cur Aeſculapius Iouis fulmine percuſſus interierit. Hos inter commemoratur POLYANTHES *Cyrenæus*, qui in libro de origine Aſclepiadarum ſcripſit, factum hoc fuiſſe, *quoniam Proeti filiabus medicatus fuerat, quæ ira Iunonis furore erant percitæ.* Quum autem hæc Proetidarum curatio a pleriſque tribuatur Melampodi: manifeſtum eſt, quod Polyanthes, Aeſculapio eam tribuens, illi ereptum eam iuerit. Videatur quid ad dictum locum notauerit doctiſſimus editor, CL. FABRICIVS; qui Euripidis ſcholiaſten, eiuſdem ſententiæ auctorem adducit.

b) *hiſt. Nat. l. XXV*, 5. *ſect.* 21.

c) *libr. IV. cap.* 150.

d) *hiſtor. plantar. libr. IX. cap.* 11.

e) *in homonym. hyl. iatric. cap. L.*

f) libello *de atra bile cap. VII.*

g) Ne quis characteres eius botanicos cauſetur omiſſos, paucis deſcribendam plantam exiſtimo. Eſt autem viuax & per multos annos durans, quæ verno tempore propellit coliculos albentes, mox expandendos in folia ampla, neruoſa, liratim ſtriata & velut plicatilia. Aſſurgit tandem caulis altus, flores ſuſtentans nudos hexapetalos regulares, in ſpicas collectos. Abeunt hi in fructus tribus vaginis in capitulum collectis conſtantes, in quibus ſemina alia aliis ſuperincumbentia, frumenti grano ſimilia, ala membranacea cincta continentur: vide CL. D. D. LVDWIGII *definit. plantar. pag.* 60. & IO. RAII *hiſtor. plant. tom. I. pag.* 168. Hic autem duas nobis deſcribit ellebori albi ſpecies: alteram flore herbaceo ſeu ſubuiridi, quæ apud nos in hortis non infrequens eſt: alteram flore atrorubente, quam præcocis nomine inſigniuit, addita ratione, quod alteram

ortu

ortu ſuo, ſeu germinatione prima, menſtruo minimum ſpacio anteuertat. Hanc a me numquam antea viſam, nec in tractu noſtro antea a diligentiſſimis plantarum circa Halam ſponte naſcentium ſcriptoribus obſeruatam, his ipſis diebus, quo hæc ad prælum renouo, læte florentem conſpexi, allatam ex paſcuo & ſalicibus humilibus abundante, prope Salam noſtrum tractu, horæ forte itinere ab vrbe remoto. Alteram illam flore herbido in vdis montium Sudetorum Sileſiæ iugis copioſiſſime prouenire teſtatur CASP. SCHWENCKFELD *in ſtirp. Sileſiæ catalogo p.* 102.

§. II.

Verum non vnus eſt albus elleborus, quo antiqui frequenter vſi fuerunt: ſed habitus quoque nigro fuit inſignis honos ſuus. Hic copioſiſſimus & optimus prouenit apud Anticyranos: tum vero etiam in Helicone & Parnaſſo montibus, vt & Aetolia. Adfertur etiam hiſtoria, quæ incertum aliquem Anticyræ ciuem inuentorem facit huius ellebori, qui primum ſpecimen admirandæ virtutis in Hercule furente ediderit ad ſanitatem, huius remedii ope, reuocando. Ex hoc Anticyra per multa ſæcula fuit celebratiſſima & crebris itineribus illuc nauigabant, quibus per elleborum purgatione, quam elleborismum vocabant, opus eſſe videretur. Sed non ſolum in hac vrbe adhibebatur hæc medicina, verum plerisque Græciæ medicis erat familiariſſima. Scripto etiam conſignauerunt aliqui omnem illius vſum, tum albi, tum etiam nigri, accurateque expoſuerunt, quomodo & ipſe elleborus ad vſum præparari & corpus ad tutam exhibitionem componi, & quo vitæ regimine homo elleboro vſurus vti debeat; ex quibus maxime a DIOSCORIDE a) laudatur *Philonides*, Siculus Ennenſis, cuius ipſe deterritus diligentia, ne actum ageret, pauca voluit ſuis commentariis de recto ellebori vſu inſerere.

a) *Libr. IV. cap.* 150.

§. III.

At vero magnopere dolendum eſt, quod in tanto ſcriptorum veterum naufragio parum, quod ad ſolidam ſcientiam de elleboriſmis veterum faciat, ad noſtra tempora peruenerit, eaque non ſine labore tædioque ſparſim colligenda ſint. Adeo enim exigua ſunt fragmenta veterum, quæ ſuperſunt, & tanta obſcuritate inuoluta, vt ne quidem euincere ex his ſatis clare poſſis, qualis elleborus ille Me-

 lam-

lampodis fuerit, *Galeno* album, veluti dictum eſt, deſignante; DIOSCORIDE autem claris verbis totam Prœtidarum curationem ad nigrum referente, quod Melampodii nomine, ab inuentore celebrat; quocum PLINIVS etiam facit. Sed nec ſatis euictum eſt, quum duæ Anticyræ apud veteres fuerint, vtrum illa ad ſinum Corinthiacum ſita in Phocide intelligenda ſit, an vero altera ad ſinum Maliacum a) quum *Pauſanias* illam illuſtribus ſignis, hanc vero *Strabo* & *Stephanus* nobis oſtendant, in qua diſſenſione componenda non eſt quod moremur, quum ad ſcopum noſtrum non faciat.

a) PLINIVS inſulam vocat; hanc, ſed ex coniectura potius, quam certa ſententia, monſtrat IS. VOSSIVS *not. ad Pomp. Mel. lib. II. c.* 3. *p. m.* 208. Conf. etiam B. CHR. CELLARII. *notit. orb. antiq. p.* 1124.

§. IV.

Sed maioris fere momenti eſt iſta dubitatio quænam ipſa illa planta ſit, quam ellebori nigri nomine veteres deſignarunt, & tantis adhibuerunt mortalium vſibus. Quippe in diuerſa abeunt, qui ſtirpium hiſtorias conſignauerunt. Et THEOPHRASTVS quidem ERESIVS, a) omnium, qui hoc argumentum tractauerunt, antiquiſſimus, quique PLINIO in multis præluxiſſe videtur, apertiſſime prodit, quod ſua ætate vel nihil certum & confeſſum publice de elleboris innotuerit, vel certe ad ipſius notitiam non peruenerit: niſi forte codicum per librarios deprauationi omnis hæc obſcuritas tribui debet. Certe commotior I. C. SCALIGER, iſti capiti ſubnotauit: *de elleboro recitat ſententias adeo abſurdas, vt pudeat.* Primo autem manifeſtum eſt, quod aliquibus tunc perſuaſum fuerit, candidum & nigrum nulla alia re inter ſe differre, niſi coloribus, iiſque in radicibus ipſis demum cognoſcendis. PLINIVS hoc videtur ab ipſo accepiſſe, quando ſcribit: b) *ellebori prima duo ſunt genera, candidum & nigrum: hoc radicibus tantum intelligi tradunt plerique.* Hactenus Theophraſto & Plinio conuenit: nunc vero PLINIVS, forte minus, quam noſtri ſunt, corruptos codices nactus, pergit: *alii folia nigri, platano ſimilia, ſed minora, nigrioraque & pluribus diuiſuris ſciſſa (ſcribunt):* quod idem legiſſe videtur DIOSCORIDES, c) quando veratro nigro tribuit φύλλα χλωρὰ, πλατάνῳ προσεμφερῆ, ἐλάττονα δὲ καὶ πολυσχιδέστερα, καὶ μελάντερα, καὶ ὑποτράχεα: *folia viridia, platano ſimilia, ſed minora, pluribus diuiſuris fiſſa, nigriora & ſubaſpera.* Atque in his multi videntur ſibi inuenire illius, quam nos

nos ellebori nigri nomine celebramus, plantæ deſcriptionem: cumque credant, Pliniana illa ac Dioſcoridea ex noſtris Theophraſti codicibus excidiſſe, ad THEOPHRASTVM auctorem noſtrum illum elleborum ſecuri referunt. Non vacat nunc pluribus hæc excutere: dabimus potius illius deſcriptionem ad placita celeberrimi botanicæ artis magiſtri TOVRNEFORTII, d) qui ſequentem reliquit: elleborus eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cuius meditullio ſurgit piſtillum, plurimis corniculis inter ſtamina & petala iacentibus circa baſin cinctum, quod deinde abit in fructum, in quo, velut in capitulum, colliguntur vaginæ membranaceæ, in cornu plerumque deſinentes, ſecundum longitudinem dehiſcentes & ſeminibus foetæ plerumque ſubrotundis & ouatis.

a) *hiſtor. plantar. lib. IX. cap.* 11. *pag.* 1063. ed. Bodæi a Stapel.
b) *libr. XXV. ſect.* 21.
c) *libr. IV. cap.* 151.
d) *inſtitut. rei herbar. tom. I. pag.* 271. Non poſſum autem non notare illud de *pluribus* petalis dictum, quum plerumque tantum quinque eſſe autopſia doceat. Sed & hæc eſſe petala aliquibus non videntur, quibus potius placet ea vocare calicem: petala autem dicere illa, quæ Tournefortius appellauit cornicula. Clariſſimus CAR. LINNAEVS *in plantar. generib. num.* 462. nectaria nominat, & eſſentialem ellebori characterem eſſe docet. Adde viri clariſſimi IVL. PONTEDERAE *anthologiam libr. I. cap.* 22. *pag.* 53.

§. V.

Atque huius nunc ſpecies ſunt variæ quidem, apud TOVRNEFORTIVM enarratæ, & flore, odore, foliis ac caule aliquantulum differentes: ſed in medicum vſum ille potiſſimum, conſentientibus plurimorum ſuffragiis, trahitur, cui flores ſunt albi, aut purpuraſcentes, menſibus potiſſimum hibernis prouenientes. REMBERTVS autem DODONAEVS, a) Dioſcoridis motus deſcriptione, aliam nobis nigri ellebori offert plantam, quam recentiorum plerique aſtrantiam nigram, alii ſaniculam feminam nominant, cuius ipſe iconem exprimit & characteres pariter & vires plantæ conuenire Dioſcoridis elleboro contendit. Sed quo minus multi in eius ſententiam iuerint, factum puto, quod per manus tradita ellebori nigri officinalis copia adfuit, quem ipſum etiam verum illum eſſe, quo Græcia vtebatur;

ex

ex eo confirmamur, quod BELLONIVS b) eundem flore rubeſcente in Olympo monte a ſe repertum teſtatus eſt. Cui & illud accedit, quod Theophraſto, ex Plinio tamen & Dioſcoride, vti antea dictum eſt, ſuppleto, vtpote ſcriptori antiquiori & in Græcia verſato, de reliquo autem curioſo ſatis philoſopho, tutius hic fides haberi poſſe videtur, quam Dioſcoridi, homini Cilici, in Aſiæ angulo commorato, & Theophraſto aliquot ſæculis poſteriori. In quo nos confirmat SCHELHAMMERI c) iudicium, quod multas indigenas Aſiæ plantas deſcripſerit, quas fruſtra in Europa quæras, adeoque perperam de earum cum virtutibus tum generibus vel diſputari vel dubitari ab iis, qui Dioſcoridem, tamquam materiæ medicæ vnicum fontem, æſtimant.

a) *Hiſtoria plant. purgant. p. m.* 194.

b) teſte IOACH. CAMERAR. *hort. philoſ. & med.*

c) ad CONRINGII *Introduct. addit.* pag. 125.

§. VI.

Quum igitur de nigro dixerimus, quantum opus videtur, & de albo non ſit qui dubitet, quin vere ille ſit veterum, quem apud nos in hortis, in aliis etiam Germaniæ & reliquæ Europæ partibus in ipſis agris & montibus copioſe reperimus; botanicam autem diſſertationem hic non meditemur: reſtat vt pedem ad reliqua proferamus & de vſibus vtriusque diſſeramus. Quod antequam adgredimur vel verbulo monendum eſt de illa ellebori nigri ſpecie, quæ floribus luteis, foliis autem tenuiſſime ſectis, apud nos copioſe prouenit, & a quibusdam ſpecioſo Hippocratis nomine addito commendatur. Nec hunc prorſus excludemus, quippe de radicum eius laudabili efficacia teſtatur experientia, quod ſint de ellebori genere; quamquam fateri cogor, nondum me reperire, quo præſidio glorioſum tanti viri nomen tueri poſſit.

§. VII.

Modum itaque exhibendi ægris elleborum conſideraturi, temporum inſiſtemus decurſui, & inde ab origine ad noſtrum æuum circumſpiciemus, qua ratione albo veratro veteres vſi ſint: deinde ad nigrum progrediemur. Primus, vt dictum eſt, Melampus experimenta cepit, rudia illa quidem & parum ad artis perfectionem redacta, vt in rebus, quarum initia vigent, fieri aſſolet, ac proinde cum periculi admonitione ægrotis adhibita, vt nos CTESIAS CNIDIVS,

DIVS, a) Hippocrati fere æqualis, edocet. Multi quippe ex iis, qui ſumſerunt, ſuffocati, pauci ſeruati ſunt, quod medicinæ huius naturam, adhibendi modum atque pondus, ceteraque requiſita accurate non erant aſſequuti. Poſtquam vero dies diem docuerat, & crebriora experimenta in cognitionem meliorem deduxerant, tuto dari videbatur, & medicamentum quondam terribile poſtea tam promiſcuum factum eſt, vt aliqui ſtudiorum gratia, ad peruidenda acrius, quæ commentabantur, ſæpius ſumptitauerint: b) veluti Carneades fecit reſponſurus Zenonis libris.

a) fragmento apud ORIBASIVM, a BARCHVSIO *dialog.* I. *p.* 19. citato.

b) PLINIVS *H. N. l. XXV. c. V.*

§. VIII.

Ceterum Melampus, vt erat ſuperſtitione valde imbutus, & ex Aegypto, teſte Herodoto, multos religioſos ritus in Græciam transtulit, voluit etiam hoc ſuum inuentum ſimilibus circumſtantiis contaminare vel commendare. Mitto autem incantamenta & religioſos reliquos ritus, quos adminiſtraſſe legitur, a) & tantum commemoro, quod legatur etiam adhibuiſſe in Proetidarum curatione balnea. Infra vero videbimus, quo fine balneorum adminiſtratio circa ellebori vſum requiſita ſit, quo loco plura adferemus. Enimuero poſt multa etiam ſæcula adhæſit ellebori albi vſui inſignis ſuperſtitio, quippe expiandis illum ædibus adhibebant & purgandis, cum precatione ſolemni: hoc & religioſius colligebant, & augurium ex aquilæ volatu ab effodientibus capiebatur: quæ omnia *Plinius* b) pluribus proſequitur, & *Dioſcorides*, quamuis rem totam ad nigrum retulerit, ex illo vtique errore, quod ſupponit, Melampodium eſſe nigrum veratrum. Plura, quam retuli, de antiquiſſimo Melampodis adhibendi modo nullibi reperio.

a) vide CLERICI *hiſt. med. Part. I. c. IX. p.* 26.

b) *l. c.*

§. VIIII.

Inſequuti magno apparatu adminiſtrarunt ellebori vſum, quo ſe contra horrores, ſtrangulatus, intempeſtiuas ſomni vires, ſingultus infinitos aut ſternutamenta, ſtomachi diſſolutiones, tardiores vomitus aut longiores, exiguos aut nimios munirent; poſt vomitiones

obſeruatione alui, balinearum diſpenſatione, totiusque corporis cura occupabantur. Cauebant quoque, ne nubilo die daretur, æſtateque potius quam hieme exhibebant. a) Corpus aliquot diebus ante præparabant cibis acribus, abſtinentia vini, quarto & tertio die vomitionibus, pridie cœnæ abſtinentia. Et ſic demum ad potandum elleborum acceſſerunt. b) Epoto elleboro magna cura adhibebatur circa corporis regimen, motus enim obſeruatus eſt augere purgationem, quies autem moderatiorem reddere; cauebant tamen, ne quies ſomnolentos redderet homines, hoc enim nocere didicerant. Si non promte ſatis ſuccederent vomitus, mala maiora metuebant, quare vel alia dabant ad euocandum elleborum, vel vomitum proritandum, vel clyſteres infundebant, & ſanguinem venis emittebant. Ex quibus ſatis elucet, quod elleborismum non pro re vili, ſed ardua & accuratam diligentiam depoſcente habuerint. Illud autem inprimis laudandum, quod ante euacuationem ſtuduerunt corpus, ex Hippocratis præſcripto, fluidum & mobile reddere, & vomitionibus præuiis ad hanc ſollemnem euacuationem quaſi adſuefacere & diſponere. c) Non enim dubium eſt, quin hæ vomitiones præparatoriæ leniſſimis remediis prouocatæ fuerint, quæ diæteticam potius quam pharmaceuticam rationem haberent, de quibus, ex mente veterum, iam egimus in *diſſ. de athletarum diæta & habitu* § *LVII. ad LXVI.* d)

a) de tempore eligendo ita apud AETIVM *tetrabibl. I. ſerm. III. cap.* 125. præcipitur: *tempus vernum aptiſſimum eſt ad ſumendum veratrum: deinde auctumnus. Aeſtas incongrua eſt, & hyems etiam, niſi valde magna vrgeat neceſſitas: & tunc hyeme quoque, qui valde calidum temperamentum habent, aptiores ſunt, æſtate vero, ſenes. Conſtitutio idonea eſt ſerena & calida, ſole claro ac aperto. In morbis autem, quæ intervalla ſua habent, dandum eſt in interuallis: in aliis, quandocunque commodum videbitur: in quartanis vero & inteſtinorum fluxione vexatis, in ipſis acceſſionibus.*

b) De corporis illa præparatione idem AETIVS *cap.* 127: *diebus tribus antea abſtineant a carnibus, aut reliquis craſſi ſucci eduliis ac potibus. Aſſuefaciant autem ſe ipſos ad vomitum, & ter aut quater prius vomant a cœna & aluus ſubducatur. Oportet autem declarata antea domeſticis anxietate certaminis futura, ſic ad auxilium procedere.* Eodemque pertinet *caput* 132. quo admonet medicum de iis, quæ in promtu adeſſe debeant illo die, quo medicamentum exhibere conſtituit. En apparatum: *Hæc in promtu ſunto, vt occurrere queas lancinationibus,*

animi

animi deliquiis & conuulſionibus forte emicantibus: aqua calida & frigida, decoctum hyſſopi, mel, ruta, pulegium, acetum, poma, panis calidus, vinum, pullus gallinaceus coctus, oleum commune & Sicyonium, ſal, galbanum, caſtoreum, cremor veratri, oleum cyprinum aut irinum aut narciſſinum, pennæ, ſternutatorium, cucurbitulæ diuerſæ, lectica, lectus ſtratum molle habens, clyſter. Quis horum omnium, ad quemuis euentum, ſit vſus, quæ applicatio, idem auctor docet longo ſermone, qui *caput* 133. implet, ampliorque videtur, quam vt huc poſſet transſcribi. Cremorem veratri, quem in iſto ordine vides, infra ſuo loco ponemus.

c) vide libellum GALENO attributum: *quos purgare conueniat?*

d) Certe a talibus incipiebant, vt ex nota b) cognoſcitur: ſed deinde per gradus adſcendebant ad fortiora. Docet hoc AETIVS *l. c. cap.* 130. vbi decoctum veratri deſcripſit; quo in caſu leuiori vtebantur per ſe: tum vero etiam præparationis ac præexercitationis cauſa, ſi quis vellet ad pleniſſimam curationem progredi & ipſa ellebori ramenta confecta accipere.

§. X.

Sed propius accedendum eſt ad vtendi elleboro modum. In quo illud primo quærendum eſt, vtrum veratrum ipſum, in ſubſtantia, vt loquimur, dederint, an vero decoctum eius; porro etiam vtrum ſolum illud vnquam, an vero aliis permixtum: denique vtrum offerre crudum auſi fuerint, an certa enchireſi mitigatum & correctum, obtulerint? Et de primo quidem exſtant documenta ſatis clara. DIOSCORIDES a) auctor eſt, dari per ſe, aut cum ſeſama, aut ptiſanæ ſucco, aut alicæ, aut lentis cremore, cum aqua mulſa aut pulte, aut quauis alia ſorbitione copioſa, aut pauco antea cibo ſumto, quod cibo munitis non intempeſtiue medicamentum corporibus offeratur. PLINIVS b) hæc fere confirmat, & inſuper addit, album in dulci (vino) dari, aptiſſime vero in lacte aut pulte. Si quæris quo pondere dederint, idem Plinius auctor eſt, antiquorum vitium fuiſſe, quod timidos in exhibendo ſe præbuerint, quum celerius erumpat, quo largius ſumatur. Themiſonem binas, non amplius, drachmas dataſſe, ſequentes & quaternas dediſſe, claro Herophili præconio, qui elleborum fortiſſimi ducis ſimilitudini æquabat, concitatis enim intus omnibus, ipſum in primis exire.

a) *lib. IV. c.* 145. b) loco ſæpe citato.

XI.

Quo autem clarius intelligamus, quid in exhibendo veratro ſequuti fuerint, quaſque cautelas adhibuerint, adducam aliquas veterum doctrinas, quæ nobis hanc rem illuſtriorem reddent. Sic ARETAEVS Cappadox a) vbi de vertigine curanda agit, in hunc modum ſcribit: *veratri exhibendi modi plures ſunt. Vt validioribus quidem ſuccurrat, ad tenuitatem placentulæ, aut paulo craſſius, eſt incidendum; & cum farre loto aut lente aſſumitur pondo drachmæ duæ.* Aliquanto clarius de curioſa veterum ſollertia nos inſtruit AETIVS b) ex quo diſcimus, quod triplici omnino modo radicem comminutam exhibuerint. Audiemus ipſum, ex antiquioribus viris, POSIDONIO & ANTYLLO, referentem: *Iis, qui maiori molimine ac exagitatione opus habent, fortioribusque ac confidentioribus & facile vomentibus, ramenta conciſa danda ſunt: at vero iis, qui adhuc audentiores ſunt, aut etiam conſuetudinem habent, contuſum & tenuiſſimo cribro excretum dabis. Ramenta vero ſic exhibe. Accipe feſtucas, conſcinde forcipe ad polentæ aut furfurum magnitudinem: deinde puluillum linteo exterge,* (ἐκμάξας ὀθονίῳ τὸν χνοῦν) *& detractis omnibus tenuibus particulis, vt ne ſtrangulet, dato, timidioribus quidem cum ptiſanæ aut alicæ ſucco, vbi parum decoxeris: fortioribus vero cum aqua calida, aut aqua mulſa, ita vt cogas ipſos inſuper ſorbere aquam mulſam puram, aut aquam, vt ne quid relinquatur in faucibus aut ſupremo ore ventriculi. Doſis perfectiſſima fortibus, de ramentis conciſis ſunt drachmæ duæ cum dimidia: de puluere craſſiore,* (τοῦ κριμνώδους,) c) *drachma vna & oboli duo, de puluillo* (τοῦ χνοώδους) *itidem drachma vna cum duobus obolis. Contundimus autem craſſiorem eius farinam in mortario, & per anguſtiſſimum cribrum excernimus, & quod eſt tenuiſſimum, auferimus, id quod craſſius eſt exhibemus cum ſucco alicæ aut mazæ ex polenta factæ. Tenuem vero puluillum tundimus & exacte cribramus: & poſtea cum cocto melle ſolidiſſimo in catapotia coactum ac efformatum exhibemus.*

a) *de curat. diuturnor. I. cap.* 3. Quod hic *placentulæ* redditum eſt, pro eo in Græco eſt ἅμης: qui caſus eſt ſecundus ab ἅμα, quod ſuo ſignificatu communi nullum hic præbet commodum ſenſum. Sed eſt per Ioniſmum Cappadocicum dictum, pro eo, quod Attici dicunt primo caſu ἅμης, ἅμητος; & ſcholiaſtes ARISTOPHANIS, *ad Plut. v.* 1000. ac qui ex eo ſemper haurit, SVIDAS, exponunt εἶδος πλακοῦντος γαλακτῶδους Quod Aretæus nobis non ſatis perſpicuo modo indicat, quando placentulæ incognitæ magnitudinem nominat; idem dixeris de PAVLI AEGINETAE doctrina, qui *libr. VII. cap. X.* τὸ χνοῶδες

vtpote ſtrangulatorium, damnat, radices autem ſecandas præcipit in fruſtula, quæ magnitudine æquent ſeſami ſemina. Nam quum ſeſamum non dicam apud nos, ſed fatente MATTHIOLO *ad Dioſcoridem* in tota Italia non colatur: neque magnitudinem ſeminis notam habemus. Curioſe eam requirens, nihil inueni, præter id quod PROSP. ALPINVS *de plantis Aegypti cap. XXXII.* dicit, ferre ſeſamum ſemina ſeminibus lini ſimilia: quod an de magnitudine intelligendum ſit, in medio relinquo.

b) *tetrabibl. I. ſerm. III. cap.* 131.

c) Quid ſit in medicorum ſcriptis τὸ κρίμνον & κριμνῶδες, vide apud ANVT. FOESIVM *in oeconom. Hippocr.* voce κρίμνον.

§. XII.

En triplicem dandi ellebori albi modum, in ramentis, ψαλλιστόν, in puluere craſſiuſculo, κριμνῶδη, & tandem in puluillo ſeu tenuiſſimo polline, quem proprio medicis termino χνοῦν, vel χνοῶδες appellant. Quæ tanto libentius adſcripſi & notaui, quoniam lucem dant SEXTO EMPIRICO, ita ſcribenti: a) ὁ ἐλλέβορος λεπτὸς μὲν καὶ χνοώδης προσφερόμενος, πνιγμὸν ἐπιφέρει, κριμνώδης δὲ ὤν, οὐκέτι: *elleborus, ſi quis in tenuiſſimum puluillum redactum homini præbeat, ſtrangulationem adfert: ſi puluerem craſſiorem, iam non æque ſuffocabit.* Artis hoc vocabulum χνοώδης videtur diu in medicorum vſu fuiſſe & ante DIOSCORIDEM viguiſſe: qui illud perperam eo traxiſſe videtur, tamquam eſſet aliqua ſingularis plantæ ſpecies χνοώδης, lanuginoſa, b) eaque præ ceteris ad ſtrangulationem inducendam potens: quo nomine iam reprehenſus fuit a viro ſummo CLAVD. SALMASIO. c)

a) *Pyrrhonian. hypotyp. lib. I. ſegm.* 130. *pag.* 34. edit. Fabric.

b) *libr. IV. cap.* 150. ſcribit: ὁ δὲ Γαλατικὸς καὶ Καππαδοκικὸς λευκότερος, καὶ χνοώδης, καὶ πνιγωδέστερος. Sed lectio eſt vexata: alii enim codices exhibent σχινώδης, *iunco ſimilis.*

c) *de homonym. hyl. iatric. pag.* 57. *a.*

§. XIII.

Audire nunc iuuabit doctrinam veterum, de eo, quid interſit inter veratrum vno vel altero ex his modis exhibitum. De eo iterum auſcultabimus AETIO a) in hunc modum differenti: *in ramenta confectum cito incipit purgare, poſt horas in totum duas, bilem & pituitam educens citra multam lancinationem, & ipſum ſimul vomitu reiectum in quatuor aut*

quinque horis purgationem ſedat. At in puluillum redactum valde tarde operatur, vt poſt quatuor aut quinque horas ſæpe incipiat: verum omnes ſpecies bilis & pituitæ educit, & ad periculum conuulſionis & nimiæ purgationis deducit. Ad longum etiam tempus producit purgationem, ſed vtilitatem multiplicem exhibet. Si itaque craſſisſimus puluis, forfice tantum conſciſſus, mitiſſime agit, & tenuiſſimus pollen, χνοῦς, vehementiſſime ac efficaciſſime agit: ſupereſt vt medio modo ſe habens, ὁ κριμνώδης, mediocrem purgationem efficiat. Atque hæc nunc dicta de veratro in ſubſtantia, vt loqui in ſcholis ſolemus, dato, ſufficiant.

a) *l. c. capite* 128.

§. XIIII.

Sed decoctum vel infuſum ellebori frequentius & tutius fere datum fuiſſe, ex multis apparet. Adducam in hanc rem clariſſimam deſcriptionem AETII, a) qui duplicem docet rationem: quarum vnam ἀπόβρεγμα, infuſum, appellat, alteram ἀφέψημα, decoctum. Priorem modum interpres IANVS CORNARIVS reddidit cremorem. Ita autem de illo tradit: *Cremor, in quo maceratum eſt veratrum, datur ſenibus & pueris, & iis, quibus habitus defluxit, & qui morbum facile ſolubilem habent. Datur & iis, qui elephantiaſin futuram timent. Oportet autem drachmas quinque ramentorum in aquæ pluuialis hemina dimidia macerare ad triduum, deinde colare & calefacere atque exhibere totum cremorem.* Eius vſus, præter indicatos, etiam is erat, vt illis, qui a ſumto in ſubſtantia veratro tardius mouebantur & a ſtrangulatione valde vexabantur, cyathi aliquot præberentur. Decocti iam rationes ſequentibus complexus eſt: *Decoctum veratri dandum eſt tum illis, quibus cremor deſtinatus erat, tum vero iis maxime, qui illis adhuc ſunt robuſtiores, inſanientibusque ac atra bile percitis. Præparatur hoc modo. Veratri libram vnam conciſam in aquæ pluuialis ſextariis II. macerato ad triduum, deinde ad prunas mitiores coquito ad tertias: poſtea colato & adiicito ad decoctum mellis deſpumati primarii libras II. & coquito vſque ad mellis compagem, & cochlearium magnum delingendum dato. Licet etiam aqua calida miſcere & dare cum ſorbitione aliqua. Hoc neque conuulſiones, neque contractiones, neque nimiam purgationem facit. Exercitium autem & præparatio eſt volenti ad ipſum veratrum tranſire, vt etiam confidenter ramenta eius confecta accipiat.*

a) loco ſæpius citato, *cap.* 129. & 130. Cum illo duplici AETII modo conueniunt ii, quos PAVLVS AEGINETA *libr. VII. cap. X.* docuit, vt radices leuiter conciſas vel aquæ, cui mel in fine addendum eſt, vel ptiſa-

ptiſanæ incoquamus, & ægro ad ebibendum præbeamus. Quos modos pariter, vt priores, iudicamus tutiores quam efficaciores fuiſſe, quippe & coctio, & ptiſanæ ipſius lentor, ellebori vires infringunt.

§. XV.

Et ſane, ſi dicendum eſt quod optimum videtur, tutius datus eſt elleborus ita maceratus & decoctus, quam in ſubſtantia ſua oblatus: vtrum vero æque efficax vbique deprehenſus fuerit, quam in ſubſtantia oblatus, hoc eſt de quo valde dubito. Illud enim cauſticum & irritans volatile principium, quo per ſe pollet, diuturniori coctione exhalat & diſſipatur, vnde minori ferocia operatur, quam is puluis poſſet, præſertim tenuior, a quo vis purgandi vehementior, quam a craſſiori, obſeruata eſt. Quippe in humores facilius tranſit ex tenui polline vis illa purgans, quam ex craſſioribus ramentis & fruſtulis, quæ non niſi maiorem vellicationem & moleſtam morſicationem in illis inteſtini partibus, quibus adiacent, excitare poſſunt a) vt ſolemnia illa ab elleboro ſumto ſymptomata, ſtrangulatio, ſingultus & conuulſiones citius ſint extimeſcenda.

a) conf. PECHLINVS de *purgantib. cap. V.*

§. XVI.

Proximum eſt quærere, an veteres elleborum album aliis admixtis dare fuerint ſoliti. Hippocrati ſolemne fuit, elleboro albo admiſcere ſeſamoides, quod ipſius vis ſurſum purgandi hoc ſemine valde exaltatur & acceleratur. Complura ſunt loca, vbi illud clare præcipit, quæ congerere hic vetat ſpacii anguſtia. Verum obſcuriſſimum eſt, quale fuerit plantæ genus, quod ſeſamoides veteres dixerunt, a ſimilitudine ſeminis, quod cum illo ſeſami conuenire veteres teſtantur. Nobis de eo iudicandi minor copia eſt, quod nec ſeſamum in noſtris terris adeſt, nec auctorum, qui rem herbariam tradunt, conuenientia ſunt teſtimonia, vtpote de re ipſis pariter obſcura & maxime dubia. Conſulantur, quæ ſcriptores varii ad Dioſcoridem in hanc plantam commentati ſunt, & REMBERTVS DODONAEVS. a) Ceterum in manifeſto errore eſt *Plinius*, & cum eo alii plures, qui nigro elleboro admiſceri ſeſamoides ſtatuerunt; quos olim caſtigauit ὁ χαριέϛατος PECHLINVS. b) Nec minus errare videntur, qui ipſum Anticyranum elleborum ita fuiſſe appellatum tradunt, c) quippe elleboro neutiquam conuenit deſcriptio illius, quam auctores ſuppeditant, omnium autem minime vſus, qui in ſeſamoidis tantum ſemine fuit, radice inutili exiſtente.

a) *hiſto-*

a) *hiſtoria pl. purgantium. lib. 2. c. 31.*
b) *de purg. c. 18. p. 113.*
c) cuius ſententiæ patronus eſt CL. SALMASIVS *l. c. pag.* 58. quem ipſum legendum commendo.

§. XVII.

Vidimus elleboro albo, vt citius operaretur, additum fuiſſe ſeſamoidis ſemen: perſuaſi enim erant veteres, non egere elleborum alia correctione, ſi corpus præparatum & fluxile inueniat, iisque morbis & temporibus detur, quibus conuenit, modo non diutius iuſto in corpore retineatur. Iuſtum autem in corpore commorandi tempus, vt PLINIVS auctor eſt, vltra quatuor horas non pertingit, totamque operationem ſeptem circiter horis abſoluere, eodem teſte diſcimus. Superius iam dedimus loca, hanc rem declarantia. Eſt tamen id quoque non prætermittendum, frequenter addidiſſe veteres melicratum, ſeu potionem ex melle & aqua mixtam, quam aquam quoque mulſam Latini dixerunt, ſiue id fecerunt obtundendi ferociam ellebori gratia, ſiue humores incidendi cauſſa, ſiue, quod PECHLINO videtur, vt acuminis mellei ratione potenter phlegma extenuetur, inque venas medicamen citius abripiatur. De vſu eius frequenti in vomitionibus obuia ſuut teſtimonia. DIOSCORIDES, a) qui parandum docet, ita admonet: *non decocta vtimur, cum ventrem mollire volumus, aut etiam vomitiones inuitare.* Quod autem idem vir doctus *c. l.* differit de oxymelite, illud elleboro frequenter fuiſſe additum: id ipſi merito relinquimus, quum nullo claro teſtimonio comprobatum ſit. Nam quod ex ſuppoſititia ad Democritum epiſtola adducitur, quod ſeſamoides, addito aceto mulſo exhibitum, ſurſum purget, rem omnino non conficit; quum nondum liquidum ſit, quod ſeſamoides & veratrum idem ſint. Quando autem acetum mulſum adhibitum fuerit, id mox ſequentibus declarabitur.

a) *libr. V. cap. XVII.*

§. XVIII.

Supereſt vt videamus, ſi quas alias rationes mitigandi ferociam ellebori veteres inierunt. Et apud HIPPOCRATEM a) quidem μαλθακȣ̃ ἐλλεβόρȣ, i. e. mitis, occurrit mentio, ad quem locum commentator Galenus fatetur, ſe non aſſequi, quid ſibi velit illa denominatione, addit autem: *nos ſane raphanos aceto mulſo interdum damus, in quibus die ac nocte*

nocte ellebori ramuſculus infixus fuerit. Eiusdem quoque meminit PLINIVS: b) *nuper inuenere diſſectis raphanis inſerere elleborum, rurſusque comprimere raphanos, vt tranſeat vis, atque eo lenimento dare.* Sed, Galeno auctore, vim modicam purgandi poſſidet ita paratum remedium, quare Pechlino non videtur Hippocrates illud ſenſiſſe, ſed dilutius infuſum cum oxymelite, & quo diutius immerſus elleborus ſteterit, hic indigitari, tamquam mite omnibusque furiis deſtitutum remedium. Vtrum præter hæc adducta aliud quid conati ſint veteres, aut, quemadmodum de nigro videbimus, aliquid aromatici & fragrantis adiecerint, inueſtigando nondum contigit adſequi. Præparationem autem raphanorum cum veratro albo talem AETIVS c) nobis reliquit: *veratri albi & optimi feſtucarum drachmas VI. in raphanos figuntur, ita vt raphani prius arundine compungantur, & deinde feſtucæ veratri immittantur. Hæ feſtucæ, vbi totam noctem in raphanis manſerint, ſequenti die eximuntur, vi ipſarum in raphanis relicta. Poſtea vero raphanos conſcindere oportet, & in aceto mulſo macerare, & ſimiliter edendos exhibere. Diligenter autem conſiderandum eſt, ne quid ex cortice veratri in raphano remaneat.* Sed hunc modum exhibendi veratrum cum raphanis tantum abeſt, vt mitiſſimum veteres omnes agnouerint, vt potius ARETAEVS d) validiſſimis eum annumeret. Ita enim claris verbis ſcriptum reliquit: *ſi raphanis albi veratri radicem per noctem vnam includas, valentiſſima tibi fiet purgatio, tum ad humores frigidos euerrendos & expellendos, tum ad calorem inſtaurandum.*

a) *libro de fracturis* §. 39.
b) *H. N. l.* 25. *c.* 5.
c) *tetrabibl. I. ſerm. III. cap.* 120.
d) *de curat. diuturnor. libr. I. cap.* 7.

§. XVIIII.

Hactenus de modo exhibendi elleborum album, ex veterum mente, quantum aſſequi illam licuit, egimus. Vbi incidit inſignis locus HIPPOCRATIS a) quo ſuadet homini ab alto loco delapſo, vt calcaneum inde grauius læſum ſit, ἐλλέβορον πιπίσκειν αὐθήμερον, *eodem ipſo die bibendum dare elleborum,* nempe vt grauior inflammatio, febris, aliaque ſubſequi ſolita præuertantur. Quo loco commentator Galenus de albo intelligendum conſentit, quod quidem circumſtantiæ aliæ etiam perſuadent. Miratur tamen, Hippocratem auſum fuiſſe tam ſubito ad ellebori vſum deſcendere, qui tamen, ſi ſine periculo

culo eſſe debet, curioſam corporis præparationem requirat. Excuſat tamen artis ſalutaris principem eo, quod fortaſſe tutius exhiberi tunc veratrum potuerit, ob victum, quo homines, qui ab eo curabantur, vti conſueuerant, non voluptuoſum & mollem, ſed & multis laboribus occupatum, vnde robur, afflictionibus ex vomitibus prouenientibus reſiſtere valens; & præterea etiam cibis pauciſſimis contentum, vnde repletiones & humorum craſſitudines euitabantur. At vero difficile illud quidem non eſt ad perſuadendum nobis, intemperantiæ nullam regulam eſſe & quotidie latius illam ſerpere: ſed tamen intemperantes nullos eſſe Hippocrati ad curandum oblatos, vt inde meminiſſe prauæ conſtitutionis talium corporum potuerit, vix fidem habebit. Adeoque ſupereſt, vt concludamus, alium fuiſſe modum ſollemnis elleborismi, ſeu purgationis per veratrum plenioris; aliam fuiſſe minus fortem, quam ἐλλέβορος μαλθακός efficiebat, ad quam deuenire non adeo magna cum cura licuit.

a) *de fract.* §. 12. *fin.*

§. XX.

Nondum a ſe nos dimittit GALENVS, quippe illo ipſo loco, quem conſiderauimus, ita inquit: *nos vero ne febri quidem vacuo dare veratrum audemus.* Puto quidem Galenum ex hoc loco non debere vlterius timidum iudicari, quam res, de qua ſermo eſt, permittit. Loquitur autem de veratro ſine longa præparatione corporis exhibito, quod imitari ipſe quidem nollet. Verum conſulentibus nobis vaſta Galeni volumina adeo parca ſe offert ellebori mentio, vt iure concludas Galenum fouiſſe ellebori quidem admodum exiguam animo ſuo fiduciam, ſiquidem vix eius vllibi meminit, vt commendet internum vſum, immo vix aliter, niſi quum Hippocrates occaſionem ſuppeditat in illis libris, ad quos commentaria adpoſuit. Quid igitur de hoc medicinæ genere in vniuerſum ſenſerit, audire iuuat: a) *veratro quidem purgare, ſi valde antiquus affectus ſit, &, ceu vectibus, vt ita dixerim, extrudendus: ad huiuſmodi enim morbos veratro vtimur.* Ex quo apparet, ni fallor, Galeni æuo certum ellebori albi vſum iam paſſim deſiiſſe, & ad caſus ancipites atque deſperatos tantum fuiſſe reſeruatum, ſi non prorſus, memoriæ tantum cauſſa, in officinis toleratus eſt, & oſtentatus potius, quam ad ægrotantium vſus adhibitus.

a) *Comment. I. in Epidem. Hipp. p. 505. ed. Frob. Lat.*

§. XXI.

§. XXI.

Equidem memini ab CELSO & CAELIO AVRELIANO veratrum album ſubinde commendari, ſed pariter, vt Galenum feciſſe vidimus, ſuſpenſa manu & tantum in malis, quorum curatio indigere fortiſſimo videbatur cuneo. Quare pronum eſt concludere, ante Galenum etiam coepiſſe ellebori albi vſum inter homines ſuſpectum reddi. Nam ſequiores ſcriptores ORIBASIVM, AETIVM AMIDENVM, & PAVLVM AEGINETAM parum moror, quum vix aliud faciant, quam vt veteres exſcribant, & in locos communes redigant ipſorum doctrinas. Nam ſi Aetii, ex quo tam multa præclara attulimus, temporibus in quotidiano vſu elleborus fuiſſet, neſcio, qui DAMASCIVS apud PHOTIVM a) ſcribere potuiſſet: *Aſclepiodotus, a Iacobo medicinam edoctus, ad veſtigium illum ſequebatur, in multis etiam ſuperabat. Nam amiſſum olim vſum albi ellebori, nec etiam a Iacobo obſeruatum, ipſe renouauit & illo inſanabiles morbos inuſitato modo ſanauit.* Vixit autem ille Iacobus, cognomento Pſychreſtus dictus, b) ſæculo VI. Iuſtiniani M. temporibus: quum Aetium poſt medium quinti floruiſſe conſtet. Et ſane fidem nobis hic facit ALEXANDER TRALLIANVS, eorundem temporum ſcriptor, cuius integrum opus de morbis curandis ad nos peruenit, quo non tam aliorum placita, quam ſuam plerumque praxin deſcribit. Nam ſi illum legas de curatione illorum affectuum, in quibus veteres elleboro maxime fidebant, tractantem, miraberis quam longe alienus ab elleboro albo hic vir fuerit, quum nigrum aliquoties laudet.

a) *in bibliotheca cod.* CCXXXXII. *pag.* 1054. *edit. Rothomag.*
b) vide de eo ALEXANDR. TRALLIANVM *libr. V. cap. IV.*

§. XXII.

Non inutile autem videtur paucis conſiderare, qui factum ſit, vt ab elleboro, olim tantopere celebrato, homines deſciſcerent. Cauſſam reiicere in habitum corporum, ab illo, quo fuerunt homines Græci antiquiores, magnopere immutatum, vt Galenus fecit, equidem nolo; quamuis aliquid tribui regionis diuerſitati poſſit: quum non difficile intelligatur, non æque facile, & cum pari felicitate, in alia quauis regione viuentibus hominibus applicari illa remedia, quæ ſub alio cælo viuentibus magno ſunt emolumento. Sed propiorem cauſſam inuenire mihi videor, quod, aucto medicorum numero & ſectarum diuiſione exorta, opinionibus homines & diſſenſioni-

bus quisque ſuis magis operam dederunt, quam obſeruationibus effe-ctuum in remediis, qui ab eorum vſu, in ſingulis morbis diuerſisque ſubiectis, reſultant, colligendis & ſollicite adnotandis. Ex quo illud conſequutum eſt, vt vniuerſae medicinae immutaretur facies, &, quae ratiocinia dirigere & comprobare, immo producere, olim ſolebat, praxis medica, accommodaretur ad ſingulorum theorias, idque maxime intempeſtiue, quum multa illis tunc deeſſent, quae poſteriorum diligentia in anatome & phyſica detexit, ad hoc, quod moliebantur, ſumme neceſſaria. Fallor, an primus huius culpae ſe reum fecit ERASISTRATVS, qui philoſophiam, a qua nuper Hippocrates medicinam ſeparauerat, in eam reduxit, ſomniaque Pythagoreorum ita profunde ſuis auditoribus impreſſit, vt vſque ad Galeni aetatem durauerint. Huius autem praecipuum dogma fuit, quo omnes vomitiones, omnia medicamenta cathartica, ne de ceteris nunc dicam, damnabantur: quod quicunque amplexi fuerant, neceſſario debebant nuncium elleboro mittere. Praecipue placebant haec Romanis: apud quos exorti methodici in multis huius praeceptoris veſtigia premebant.

§. XXIII.

Longum eſſet omnes recenſere veterum opiniones, quibus effecerunt, vt obſeruatio effectuum reprimeretur, & tota curandi ratio ad generales quosdam conceptus ab iis reuocaretur, quibus taediosum videbatur, artem longam ea ratione proſequi & excolere, qua vnice conſtat. Nec ſolum methodici, magna ex parte, hanc labem induxerunt, ſed Galenus omnium maxime ſuum hic contulit. Illi quidem, quod communitatibus ſuis nimium indulgentes, cum praeter ſtrictum & laxum nihil attenderent, medicamentorum euacuantium vires non vlterius aeſtimabant, niſi quantum ipſis videbantur magnam in corpore laxationem facere, vt humores tenaces, craſſi, viſcidique effluerent; tamquam fieri non poſſet, vt medicamenta diuerſa, quae euacuant, pro diuerſa mixtione ſua, agendi operandique modum non eundem teneant, &, cum ipſa euacuatione, ſimul alterando corpori vel proſint vel noceant, ad certos morbos ab eo profligandos aut in eo confirmandos. Galenus autem non minus attentae obſeruationi medicae obfuit, quod familiaritatem quandam ſubſtantiae in medicamentis purgantibus effinxit, aut, ſi ab aliis accepit, nimis acriter propugnauit, qua fieret, vt ſuppoſiti humores

pec-

peccantes, vim attractricem medicamenti ſequentes, e venis, in quas medicamentum abreptum eſſet, ad ventrem relaberentur, ita prorſus, vt vel bilis atra, vel flaua, vel ſerum ſuperfluum educerent, ſi illud medicamentum, quod datum eſſet, virtute propria & peculiari, ad hunc humorem præ illo euocandum, eſſet inſtructum. Simili ratione vniuerſam medicinam terminis repleuit nihil ſignificantibus & nihil valentibus, niſi vt initiati, ſi nou accuratius rem intueantur, ſe illud putent ſcire, quod reuera neſciunt: alii autem, iisdem non imbuti, ad obiectiones & rixas perpetuas auocentur, quo pugnandi & contradicendi ſtudio & olim efficiebatur & in hunc diem effectum eſt, vt nulla cana ſit experientia, medicorum communi ſententia laudata & approbata, quouis ſuo ſenſu abundante & aliis obtrectante.

§. XXIIII.

At, inquis, nondum video, qui potuerit elleborus hac ratione profligari. Ego vero, non elleborum magis, quam alia quæuis, quæ nobis vltimorum ſæculorum experientia tradidit. *Methodici*, inquit PR. ALPINVS, a) *non omnium quidem purgantium vſum, ſed præualidorum tantum, in morbis ſanatu difficillimis, aliquando amplexi fuerunt, quod hæc omnes humores, cum tenues tum craſſos, efficaciter educendo, magnam quidem laxationem in corporibus facerent, quando debilia non craſſos viſcidosque, ſed ſolummodo tenuiores educere queant.* Ergo elleborum album, tamquam potens & conſpicuum euacuans, ad vſum promiſcuum vocarunt, & Themiſon ille Laodiceus, quem ſupra laudauimus, ipſe methodicus, ad duas drachmas dedit, ſequentes & quaternas exhibuerunt. Ponamus itaque, hoc rerum ſtatu, Theſſalum Trallianum aliquem ἰατρονίκην, ſapientia ſua turgidum, ad heroicæ medicinæ tranſire vſum; quantas ſtrages edet, quot periculis mortales exponet? Quum ipſe, ſuis placitis inſiſtens, turpe ſibi ducat timorem ibi prodere, vbi ante ipſum alii, aut eo modo, qui aliis etiam notus & ab experientia comprobatus eſt, noxam auertere. Qua ratione euenire non poteſt, quin medicinæ optimæ vſui hominum eripiantur & in deſuetudinem, ipſis medicis omittentibus & obliuioni tradentibus, ſenſim abeant.

a) *de medic. meth. lib. III. cap. VIII.*

§. XXV.

Expoſuimus, qua ratione in deſuetudinem abiiſſe ellebori alibi

bi vſum, priſcis adeo familiarem, vero nobis ſimillimum videatur. Manſit itaque elleborus fluctuans & vix liber ab infamia, vsque ad illa tempora, quo litterarum & artium lux pene barbarie exſtincta eſt, & cum reliquis diſciplinis medicina quoque ad Arabes tranſiuit. Ex his JOANNES MESVE ille eſt, ad quem fere omnes recentiores prouocant, quando rationem reddere volunt, quare ab albo elleboro abſtineant. Quam vero idem hic Meſue in ſcholis medicorum, ſub periodo illa Arabico-ſcholaſtica, regnauerit, vt pro euangeliſta medico haberetur; notiſſima res eſt, adeoque non mirum, ſi, eius auctoritate deterritus, elleborum nemo reuocare auſus eſt, ante Meſuen cum ſuis Arabibus expulſos, & Græcos inductos. Ex quo tempore ſummi viri & doctiſſimi pro elleboro albo vel reuocando vel in exſilio perpetuo, extra medicinæ forum, conſeruando laborarunt, de quibus dicere nunc non licet, quoniam nos ad ſe vocat niger elleborus, vt ex antiquitate eius etiam perquiramus & expendamus vſum.

§. XXVI.

Ante vero quam ad nigrum penitus tranſeamus, notatu dignisſimum PROSPERI ALPINI a) huc transferemus locum, qui, quamuis longior, tamen non ingratus lectoribus, vt ſpero, erit, quia elleboro albo non ſolum digne parentat, verum etiam ſingulare arcanum pandit. Ita autem inquit: „Elleborus albus inter medicamenta „vomitoria perpetuo, apud omnes gentes, præcipuum locum ob„tinuit, fuitque in vſu elleborismus i. e. purgatio per elleborum al„bum, admodum familiaris apud antiquos, ad morbos ſanatu diffi„cillimos tollendos, cuius quidem vſu complures, ab affectibus fere „prorſus inſanabilibus, ſanabantur, atque ita cito & probe, vt eæ „ſanationes miracula viderentur: vnde olim antiquorum illorum me„dicorum laus inſigniter augebatur. Nunc vero, non ſine ægro„tantium damno atque magno artis medicæ dedecore, ipſius vſus „apud omnes fere medicos obſoleuit, qui nunc neque audent neque „ſciunt, quomodo veratrum album exhibendum ſit. Obſoleuit, in„quam, apud omnes fere cuiusuis nationis medicos, non tamen apud „eos ſacerdotes, qui vbique fere locorum, hac ætate, profitentur „mederi malis fere omnibus ſanatu rebellibus: (quæ omnia dicunt a „maleficiis ortum habere, idcircoque ſacris verbis, ſacrisque inun„ctionibus, atque aliis medicamentis ab ipſis excogitatis, ſanari.) „Iſti vero fingunt olea ſancta, quæ per os etiam exhibent, vel aquam

„ali-

„aliquam itidem ſanctam ſtillatitiam, vel paruiſſima quædam catapo-
„tia, quæ omnia fere, vt nos certificati ſumus, radices veratri albi
„recipiunt. Hæc mirifice etiam ad dæmonio actos iſti merito lau-
„dant, atque præſertim ad malos, aiunt, ſpiritus a corporibus pro-
„fugandos: neque ipſi mentiuntur, quando hæc medicamenta non
„raro in corporibus multis, quæ per os aſſumſerunt, ſpiritus vel et-
„iam optimos reſoluerint, vel ſuffocarint, ſubſequuta exinde illo-
„rum morte. Negandum tamen non eſt, quosdam illis medicamen-
„tis probe ſanari, atque neque absque multa illorum ſacerdotum lau-
„de. Itaque elleborus albus recte exhibeatur, atque primum corpo-
„ribus paratis, ſcilicet laxatis ſtomachi partibus, cum internis, tum
„externis, internis quidem laxatoriis vel ex iuribus vel ex decoctis
„vel ex oleis vel ex hydrelæis, & externis ex fomentis, inunctioni-
„bus, laxatoriisque. - - Atqui religioſi ebulliunt elleborum in oleo,
„& oleum (vocantes ipſum benedictum,) ægrotis exhibent. Quidam
„ciuis Baſſanenſis Parauium vxorem phreneticam conduxit, ſibi per-
„ſuaſus ipſam ex magnis continuisque deliramentis obſeruatis, dæ-
„monibus vexari, ſacerdotem in hac re magni nominis arceſſiuit,
„cuius iuſſu mulieri propinato oleo ſancto, ex vomituque concitato
„dictu incredibile eſt humorum variorum, potiſſimumque bilioſo-
„rum, quantum eductum fuerit, ſcilicet ad plures libras, a qua pur-
„gatione poſtridie mulier exſpirauit. Non negandum tamen, poſſe
„huiusmodi ellebori ex oleo præparationem corpora facilius & minus
„moleſte, (quod oleum vim ellebori acrem & catharticam obtundat,
„& ſimul vna ſtomachi partes emolliat & laxet) ferre.

a) *medic. method. lib. III. cap. X.*

§. XXVII.

Iam de nigro circumſpecturis præmonendum videtur, ellebo-
riſmum quidem, ſtricto ſumtum ſenſu, purgationem ſollemnem, per
ſuperiora, cum veratro albo inſtitutam, veteribus deſignare: lici-
tum tamen nobis fuerit latius hic accipere vocem & de nigri etiam
vſu diſſerere. Quod eo magis facere debemus, quoniam, vt ſupra
relatum eſt, Dioſcorides elleboriſmum illum Melampodis, immo et-
iam celebratiſſimum illum Anticyranum, ad nigrum veratrum refert,
vnde factum eſt, vt cognomina Proetii & Anticyrani a quibusdam
acceperit. Verum, vt taceamus iam ſupra aduerſus Dioſcoridem
adlata de Melampodis curatione, de Anticyra, quod album ibi de-
derint

derint ſeſamoidi permixtum, claris verbis edocet PLINIVS a) *Druſum apud nos, tribunorum popularium clariſſimum, - - conſtat hoc medicamento liberatum comitiali morbo, in Anticyra inſula, ibi enim tutiſſime ſumitur, quoniam ſeſamoides admiſcent.* Qui locus continuo ſermoni de candido elleboro intertextus eſt, vt nullus ſuperſit dubitandi locus. Ceterum album pariter & nigrum elleborum circa Anticyram proueniſſe, PAVSANIAS b) teſtis eſt, vnde cognomentum plantae ab loco impoſitum vitio caret; alterum autem, a Proetidis deſumtum, errori Dioſcoridis tribuendum videtur.

a) *H. N. l. XXV. c. V.*

b) *libr. X. cap.* 36. *p.* 891. *edit. Lipſ. Qui Anticyrae imminent montes, valde ſunt ſaxoſi. In his frequens elleborus naſcitur. Et niger quidem in vſum hominum venit; aluum enim purgat: alter autem candidus etiam per vomitum euacuare conſueuit.*

XXVIII.

Tribuitur nigro vis purgandi mitior & ad inferiora vergens, & in hos fere vſus ab antiquis deſtinatus & exhibitus eſt, eoque ſpectarunt etiam, quae adiuncta illi, ad hanc efficaciam accelerandam, fuiſſe legimus & inferius afferemus. Incidit vero obſeruatio inſignis FR. VALLERIOLAE a) qui ab vſu ellebori nigri, in puluere ad drachmae pondus ſumti, in homine iuuene, ceteroquin ſano & robuſto, niſi quod in ventriculo atque toto corpore grauitatem ſentiret, (ad quam percurandam elleboro vſus eſt, ſuaſu proletarii ſcriptoris) mox ab pharmaco ſumto grauitatem ventriculi maiorem cum anguſtia, obſeruauit, nauſeam ingentem, animi deliquiis comitatam, vomitus crebros, difficiles, aeſtuoſos, ſingultum, conuulſiuos motus, ſtrangulationemque tantam, vt praefocari ſibi in momenta ſingula videretur. Quae ferme omnia ſymptomata ea ſunt, quae ab albo veratro reliqui ſcriptores annotarunt, & in ſe ex parte expertus eſt *Conrad. Geſnerus*, b) paullo audacior medicinarum quarumuis in ſuo corpore experimentator, quum veratri albi cum ſpiritu ardenti infuſum, longiori maceratione paratum, ſumſiſſet, vt de ſe ipſe retulit. Niſi igitur vel Valleriola pro nigro album ſcribere voluit, aut per errorem ipſi aegroto, nigrum elleborum poſtulanti, albus exhibitus fuit, aut niſi denique aconiti radices, pro elleboro nigro, oblatae ſeplaſiario fuerunt; in quo cautos nos eſſe, ob facilem errandi occaſionem, medici iubent: eſſet ſane, cur ipſi nigro elleboro diffidere-

deremus, ne & ipſe grauiores motus in corpore excitaret. Sed de hoc poſtea diſpiciemus.

a) *Obſ. med. lib. III,* 11.
b) *Epiſt. med. lib. II. p.* 69.

§. XXVIIII.

Vſi autem veteres ſunt nigro veratro, vel ſolo, vt Dioſcorides docet, vel cum aliis remixto. Et HIPPOCRATES a) quidem ad aluum molliendam, iubet vel veratro nigro vti, vel peplio, vel vtroque, conſimilis quippe modi exiſtente. *Aluum,* inquit, *mollire oportet aut veratro nigro aut peplio: ita vt veratro quidem daucum aut ſeſeli, aut cuminum, aut aniſum aut aliud quid ex odoratis admiſceas: peplio vero ſilphii ſuccum. Sed & hæc, ſi inter ſe miſceantur* (veratrum & peplium) *conſimilis modi exiſtunt. Ducit autem nigrum veratrum melius, & ad iudicationem commodius, quam peplium: peplium autem flatus magis erumpere facit. Ambo autem hæc dolorem ſedant. Sedant item alia multa aluum ſubducentia medicamenta; verum hæc inter ea, quæ ego noui, optima ſunt. - Ptiſanam autem ſtatim inſuper ſorbendam dare oportet, poſtquam medicamentum bibit: in media autem purgatione ſorbendam non dare.* Verum abſoluta purgatione ad eam parce redeundum eſſe monet. Loquitur autem ibi Hippocrates de doloribus laterum ſub diaphragmatis regione, ſeu pleuritide infera, quæ vergit ad hypochondrium.

a) *de victu acut. §. XII. & XIII.*

§. XXX.

In adducto *Hippocratis* loco illud merito conſiderandum eſt, quod veratro nigro correctorium adiecit ex ſeminibus carminatiuis odoratis. Iubet autem vel daucum, vel ſeſeli, vel cuminum, vel aniſum, vel aliud quid ex odoratis admiſcere, non ſolum vt particulæ ellebori, magis a ſe diſiunctæ, minus vni loco adhæreant copioſæ, ſed etiam vt flatus, ab elleboro aliisque purgantibus facile excitandi, magis diſcutiantur: quippe nihil magis purgantium vim retardat, quam flatuum, inteſtina extendentium, copia, quæ periſtalticum inteſtinorum motum ſufflaminant & diſtributionem medicamenti impediunt, & præterea venarum meſaraicarum lactearumque orificia, illa extenſione tunicarum, comprimunt occluduntque, vt nihil vel medicamenti virium in humorum maſſam abeat, vel ex glandulis, humectationi inteſtinorum deſtinatis, ad promouendam faciliorem-

que reddendam purgationem, in canalem inteſtinalem poſſit deflue-re.

§. XXXI.

De ipſo nunc peplio videndum eſt, qualis illa planta fuerit, & quam efficaciam exſerat. Peplis ea etiam dicitur & a DIOSCORIDE a) deſcribitur, quod folia habeat portulacæ æmula, in maritimis maxime naſcatur & ſucco candido ſcateat. Ex eſularum eſſe hanc genere multa perſuadent, tum maxime quod, MATTHIOLO b) teſte, hodieque in Italia eſulæ quædam ſpecies, *pepla* vel *peplo* dicta, nota eſt. Quod vero alibi apud Hippocratem μηκωνίδος nomine appellatur, ab Plinio papauer ſpumeum vocatur: quamuis illæ notæ, quas apud Dioſcoridem inuenimus, nihil ſuadeant ad papaueris ſpecies referre peplion. Videantur ANVTIVS FOESIVS ET GORRAEVS c) Lacteo autem iſti ſucco, præter acre ſtimulans, etiam anodynum aliquid tribuerunt veteres, adeoque Hippocrates eo reſpexit, quando peplion tradit veratro nigro μᾶλλον φυσέων καταῤῥηκτικώτερον, *flatus magis erumpere faciens*, præſertim ſi ſucco ſilphii fuerit temperatum. Vſi autem frequenter illo ſunt, cum in genere ad pituitam ac bilem expurgandam, tum maxime ad præcordiorum atque imarum ventris partium magnam a flatibus diſtentionem diſcutiendam. Dederunt autem, AETIO auctore, d) peplii ſemen, aliquando vero & ramulos ſimul, in vmbra ſiccata, tuſa ac cribrata, ſcrupulorum IV. pondere, in aqua mulſa, adiecto modico aceto.

a) *lib. IV. cap.* 169.
b) *comment. ad Dioſcor. d. l.*
c) *in oeconomia Hippocrat. & Definit. medic.* vocibus πέπλιον. μηκώνιον.
d) *tetrabibl. I. ſerm. III. cap.* 26.

§. XXXII.

Redimus a peplio ad veratrum nigrum, reliqua conſideraturi, quæ admixta ipſi apud veteres legimus. Et *Dioſcorides* quidem cum *Plinio* aſſerunt, miſceri illi ſalutariter ſalem, quod recto conſilio factum ſane eſt, quoniam ſalia media, & maxime ſal commune, vim incidendi, inteſtinaque blande ſtimulandi inſignem obtinet, adeoque ad effectum optatum eo facilius conſequendum maxime facit. Merito id tutius fieri *Plinius* iudicauit, quam ſi ſcammonea ipſi addatur; quum enim hæc ſit ex reſinoſorum gummeorum genere, facile in-

teſti-

teſtinorum plicis adhærendo vehementes roſiones atque torſiones excitat, ac moleſtam reddit purgationem, eoque magis, ſi cataputiæ ſucco adulterata, vt plerumque ad nos transfertur, maiorem malignitatem induit.

§. XXXIII.

Pertinet quoque ad vſum nigri veratri, quod ſoliti fuerunt hanc radicem decoquere cum lente & iuſculis, & ita decoctum, ellebori imbutum viribus, ſumtitare, ad quem modum aliqui recentiores elleborum iuſculis carnium, e. g. capi, galliue veteris incoxerunt, & inſignem efficaciam in morbis profligandis inde obſeruarunt. Non enim ſolum mucilaginoſo-pinguis eiusmodi iuſculorum ſubſtantia, præſertim calide intra corpus aſſumta, deliniendo fibras ventriculi & inteſtinorum, grauiores ſpasmos cohibet, verum etiam, dum pars nutritiua chyliferos ductus promte ſubit, illi intime commixta vis purgans in maſſam humorum promte abripitur, totumque corpus peruadens, ſeroſas partes multas colliquat & ad inteſtinorum canalem, tamquam ſeri craſſioris proprium & præcipuum emunctorium, compellit.

§. XXXIIII.

Nec prætermittenda quoque illa veterum cautela, quam *Plinius* commemorat, quod in dulcibus datum copioſius, periculum inferat. Quare, quum album, raphanis inditum, & deinde oxymeliti commixtum dederint, quin dulci etiam vino infuſum: numquam de nigro iubemur illud tali vehiculo intra corpus adſumere vel adſumendum præbere. a) Quale periculum adferat, quoniam a nemine illorum, quibus experientiæ rationibus hoc conſtabat, commemoratum inuenio, coniecturis tentare nefas puto; prorſus tamen omittendum non putaui, cum propterea, quod ad agnoſcendum vtriuſque ellebori diſcrimen facere poſſit, tum vero etiam, vt cogitetur, rectene conſtitutæ ſint recentiorum quædam compoſitæ medicinæ, album pariter atque nigrum elleborum, & ſimul magnam dulcium copiam, recipientes.

a) Poſt accuratiorem inquiſitionem inueni tamen, quod non omnino reformidauerint veteres omnia dulcia cum nigro veratro coniungenda. Sic ARETAEVS *curat. diut. I. cap.* 5. melancholia laborantibus veratri nigri drachmas duas ex aqua mulſa præbere iubet. Atque

que idem auctor *curat. acut. libr. I. cap. 2.* veternoſis porrigendum idem medicamentum, iterum ex mulſa, commendat. Quin AETIVS *c. l. cap. 26.* dandum μελὰ γλυκέος ἢ ὀξυμέλιτος, *cum paſſo aut aceto mulſo*, clariſſime præcipit.

§. XXXV.

Quod ad illam quantitatem pertinet, qua offerre nigrum, intra corpus ſumendum, conſueuerunt, ex *Plinio* illam fuiſſe intelligimus plurimum drachmam, modice quatuor obolos, i. e. grana XXXX. quod ita etiam recentioribus placuiſſe videmus, vt a *Simone Paullo* annotatum reperimus. Quouſque ARETAEVS progreſſus ſit, modo monuimus. AETIVS tres ſcrupulos, plus, minuſue dare præcipit. Sed curioſi hic ſunt in determinandis partibus, quas adſumere debeamus, vetantque caput radicum, vtpote craſſius, adſumere, ſed fibris contentos eſſe iubent: ſed nec fibris integris vti, verum cortice tantum, abiecto illo, quod in medio eſt, durius & lignoſius. Quæ quidem ſeparatio, tamquam tædioſa & vix niſi in recentibus, aut maceratione aliquali remollitis, facile perficienda, a pleriſque hodie omittitur. Quin immo gratis illud etiam in pleriſque officinis medicorum ſchedulæ præcipiunt, vt accipiantur fibræ, quum videamus pauciſſimos pharmacopœos abiicere illa capita, quibus radicum maior fere pars conſtat.

§. XXXVI.

Diximus de vſu nigri ellebori, quæ apud veteres relatu digna reperimus. Mitius autem fatum huic nigro fuit, quam albo veratro, quippe ad noſtra vsque tempora integrum fama & laudibus plurimis onuſtum peruenit & in officinis triumphat, quamuis hinc inde triſtia exempla apud recentiores reperire liceat eorum, qui ab eius vel puluere, vel extracto, vel aliis præparatis, magnas & periculi ancipitis plenas moleſtias incurrerunt, vel prorſus morti occubuerunt. Sed hæc adferre hoc loco non opus eſt, quum de cauſſis tam funeſti euentus plura dicenda eſſent, quam præfixum nobis ſpacium capiat. Quare alii reſeruamus tempori, vbi recentiorum circa vtrumque elleborum molimina & conſilia ſeorſim exponemus.

§. XXXVII.

Supereſt vt diſpiciamus, quo tempore, & aduerſus quos morbos, elleborum vtrumque veteres maxime laudauerint, & qua cautione,

tione, tum in vniuerſum, tum maxime in ſingulis dare hanc medicinam fuerint ſoliti. Et primo quidem album dare illis, quibus mens emota erat, tamquam præcipuum remedium ſolebant, vnde prouerbium emanauit, *elleboro indigere*, aut *Anticyra opus habere*. De hoc vſu HIPPOCRATES paſſim loquitur, ex quo vnum & alterum huc adducemus locum. Sic de attonitis ſiue ſtupidis: a) *horum inſania tardior exiſtit, nemine offendente aut verberante plorant, formidantque non formidanda & triſtantur de rebus ad ſe nihil pertinentibus, & ſentiunt ea, quæ non conueniunt ſapientibus. Confert itaque his fomentis vti, & poſt fomenta elleboris expurgari.* Eodem libro b) ſubfurioſos deſcribit, aut inſaniæ valde propinquos, de quibus itidem fert ſententiam: *conueniens eſt vere veratris purgare*, προπυριηθένταϛ, *fomentis antea præparatos.* Eadem fere inculcat de iisdem *libro de inſomniis.* c) Quibus locis illud notatu dignum eſt, quod quidem ſuperius iam ex parte attigimus, quod non prius ſumere iubeat veratrum, quam corpore fomentatione præparato. Qua voce late patente ſignificat omnem calorem humidum, corpori ab externa cauſſa allabentem, maxime ex vaporario, candentibus ſilicibus inſtructo, aut balneo, cuius beneficio fibrarum rigiditas maxime tollitur, & illæ molliores redduntur. Balneo autem maxime præcauere veteres ſolebant conuulſiones, terribile malum, ſi ab ellebori purgatione nimia eueniat, in quem finem meminiſſe oportet inſignis loci alius apud HIPPOCRATEM d) quo infantes iubet balneis crebro fouere, ὅκωϛ οἱ σπασμοὶ ἧσσον ἐπιλάβωσι. *vt eos conuulſiones minus corripiant.*

a) *de diæta lib. I.* §. 33.
b) §. 36.
c) §. 6.
d) *lib. de ſalubri diæta.* §. IX.

§. XXXVIII.

Idem HIPPOCRATES a) *veratrum dare iis præcipit, quibus a capite fluxio fertur*, modo nihil de reliquo adſit, quod elleborismum impediat. Prohibet autem illos ab hac curatione, *quicunque ex abſceſſibus aut venæ ruptura, aut propter intemperantiam, aut ob aliam quandam fortem cauſſam, ſuppurati ſunt. Nihil enim illis profuerit, & ſi quid perpetietur æger, veratrum in cauſa eſſe videbitur. Si vero corpus diſſoluatur, aut dolor in capite ſit, aut aures obturatæ ſint vel nares, aut ſputatio, aut genuum grauitas ſit, aut corporis tumida moles præter conſuetudinem, dato* ve-

veratrum, quicquid tandem contigerit; ſi non ex potibus, neque ex rebus venereis, neque ex triſtitia, curis, vigiliisue hæc enata ſint. Sic quoque ad illos, quibus nimia repletio periculum corpori minatur, cito ſanandos, elleboriſmum ſuadet, b) quo quidem loco abſolutum ellebori nomen de albo intelligendum eſt: vtrum vero ſatis tuto fiat, maximopere dubitandum eſt, quum inter notas illius ægri etiam corporis ſenſum grauatiuum, ſomnolentiam, capitis repletionem & periculum, ne vaſa præ nimia plenitudine rumpantur, ſuperius retulerit, tamquam plethoræ eminentis ſigna, quo caſu ad fortem medicinam, vomitum proritantem, nemo circumſpectior facile deuenerit, quin forte omnes venæſectionem multo conuenientiorem iudicauerint.

a) *de victu acut.* §. 56.
b) *de diæta l. III.* §. 18.

§. XXXVIIII.

Longus eſt morborum catalogus, quibus album veratrum porro mederi PLINIVS a) adſeruit: ex hoc pauca referre liceat. Primo loco adfert morbum comitialem, a quo in Anticyra liberatum Druſum, tribunum plebis, enarrat, ellebori vtique beneficio. Conſentit Romanorum Hippocrates, CELSVS b) & primo quidem nigrum, tamquam lenius remedium, tentare ſuadet, hoc autem nihil proficiente album aduocare, quo ter quoque aut quater vti iubet, non ita multis interpoſitis diebus, ſic tamen, ne iterum vmquam ſumat, niſi conciderit. Poſt enumeratos alios affectus capitis, medelam ab elleboro albo promittit elephantiæ: & leucæ, vitiliginis ſpeciei, in quo quidem aſſentientes alios quoque inuenias. Quartanas quoque, quæ aliter non deſinant, hoc remedio exſtirpari ſubiicit.

a) *loco ſæpe citato.* adde GELLIVM *libr. XVII. cap.* 15. qui Plinium citans ita ſupplet: *Liuium Druſum, qui tribunus plebis fuit, quum morbum, qui comitialis dicitur, pateretur, Anticyram nauigaſſe, & in ea inſula elleborum bibiſſe ait, atque ita morbo liberatum.*
b) *lib. III. c.* 23.

§. XXXX.

Adducemus quoque ex CORNELIO CELSO veratri albi commendationes. Ad cynicum ſpaſmum, fruſtra aliis tentatis, tollendum, iubet ad vomitum elleboro albo proritandum deuenire. a)

Idem

Idem quoque ad læuitatem inteſtinorum ſeu lienteriam vomitum, a veratro albo, commendat b) & in eo conſenſum Hippocratis allegat, quem non inuenio alium, quam quod lienteriæ cauſſam hic c) ſtatuit, quum ex capite & ventre ſuperiore pituitæ fluxus fit in ventrem inferiorem, quo caſu eum ellebori albi vſum commendaſſe, ſuperius intelleximus. Alibi d) autem cautionem ſingularem prodit, ne ſurſum tales purgentur hyberno tempore.

a) *lib. IV. c. 2. ſect. 3.*
b) *lib. IV. c. 16.*
c) *lib. de affection. §. 25.*
d) *Aph. 12. ſect. IV.*

§. XXXXI.

Ad ſtrumas digerendas album veratrum recte dari, atque etiam ſæpius, donec digeſtæ ſint, idem auctor eſt, a) quod de nigro *Plinius*, ſæpius a nobis laudatus, etiam adſerit, & recentiorum plurimis experimentis comprobatum legitur, ellebori non exiguam vim eſſe ad morbos prauæ conformationis, itemque deſperata & ſordida vlcera feliciter exſtirpanda.

a) *lib. V. c. 28. pag. 324. edit. Almelou.*

§. XXXXII.

AETIVS, a) quem toties ſupra adduximus, de eo, quibus dandum ſit veratrum album, & quibus non, ex ANTYLLO & POSIDONIO in hunc modum exponit: *ipſum veratrum dandum eſt iis, qui diuturno ac forti morbo laborant, & qui in aliis auxiliis ſpem non habent. Dandum eſt & hydropicis, elephantiacis, cachecticis, reſolutis multo tempore, comitialibus & melancholicis, arthriticiſque ac podagricis. At enumerare, in quibus affectionibus probetur, non facile eſt propter multitudinem: præſtat itaque dicere, qui morbi a veratro lædantur. Incommodum eſt itaque veratrum ſanguinis reiectioni, ſpirationi erecta ceruice ſtrangulationem minitanti, & in ſuffuſione imminente, capitiſque affectibus, qui ex interuallis violentos dolores inducunt, cum rubore faciei & vaſorum diſtentione, & in vteri ſtrangulationibus, & iis, qui aſſidue animo linquuntur.* Atque in pleriſque horum affectuum videmus eundem ab ARETAEO, quem ſæpius iam laudauimus, commendari. Ex eodem b) adſcribere non piget ellebori albi commendationem egregiam, quæ vltimis lineis librorum eius, ad noſtra tempora delatorum, legitur: *album*

bum veratrum non vomitionem tantum molitur, ſed etiam omnium ſimul purgantium medicamentorum efficaciſſimum eſt, non multitudine & varietate excrementorum, nec diſtentionibus & violentia in vomendo, ſed potentia & qualitate non vitioſa. Quippe quae laborantibus ſanitatem reddit per exiguam purgationem & modicam intentionem. Vetuſtorum praeterea morborum omnium, firmis radicibus inhaerentium, ſi cuncta alia medicamina viribus inferiora ſint, id vnicum remedium eſt. Si quidem igni facultate perſimile eſt album veratrum: & quod ignis exurens facit, eo plus veratrum interius diſcurrens operatur. Videlicet facilem ſpirationem ex difficili, ex pallido colore floridum, & ex macie corpulentiam.

a) *tetrabibl. I. ſerm. III. cap.* 121.

b) *de curat. diuturn. libr. II. cap.* 13. Cum hac Aretaei ſententia iterum conſpirat AETIVS qui *c. l. cap.* 122. & 123. qui *veratrum*, inquit, *poteſt corpora tranſmutare ac refingere mixtionem eorum*, μεταποιῆσαι τὰ σώματα, καὶ μεθαρμῶσαι τὴν κρᾶσιν αὐτῶν, *vt quaſi iuuenilia & robuſta reddantur.* Atque notabile eſt quod methodici, qui alias euacuantibus parum tribuebant, elleborum tamen album in ſua praxi retinuerint, eumque in cycli ſui metaſyncritici extremo decurſu, qui vomitorius erat, collocauerint. Etiam hoc AETIVS c. l. tradit: *multi accepto veratro eoque concocto, omnino quidem non ſunt purgati, vtilitatem vero non minorem perceperunt, quam ii, qui purgati fuerant.*

§. XXXXIII.

Nec alienum prorſus erit paulliſper ad vſum externum in clyſteribus deflectere, vbi non ſemel apud HIPPOCRATEM inuenies elleborum album, dulci vino infuſum, ſuaderi, vt vtero iniiciatur. Sic ad impura & vetera vteri vlcera inter alia ſuadet: a) *veratri potiones duas, in vini dulcis heminis duabus, infundere.* Nec multis interiectis b) ad pituitoſam mulierem purgandam eumdem clyſterem, inteſtinis, vt videtur, iniiciendum proponit. Plures excogitauerunt veteres, veratro exterius vtendi modos. Adducam in hanc rem ORIBASII teſtimonium, aut potius apud ipſum exſtans vetuſtioris auctoris fragmentum: *Veteres veratri admotu atque odoratu purgare ſunt conati.* E quorum *numero eſt* PLISTONICVS. *Hic enim glandes aliter atque aliter ex elleboro conficiens ano appoſuit & vomitum exciuit. Paſſo autem componens & diluens, vna cum felle bubulo, odorandum iis dedit, quibus neque mucus e naſo, neque ſputum poſſet procedere, ratus, id quod erat,*

fore

fore, vt vomitus facile prouocaretur, ac magis etiam, ſi quis eo diutius vteretur. DIOCLES *vero anum quoque elleboro, tamquam emplaſtro, circumdedit.*

a) *de morb. mulier. I.* §. *III.*
b) §. 119.

§. XXXXIIII.

Vidimus ad quos morbos tollendos opem veteres ab ellebori albi vſu ſibi promiſerint: progrediendum nunc etiam eſt ad nigrum; vt disquiramus, vbi eius maxime ſubſidio vſi fuerint. Et de purgatione quidem molliori in pleuritide infera, ex *Hippocratis* mente, iam ſupra, occaſione ſic ferente, diſſeruimus, quare ad reliqua progredior. Idem igitur a) ad expellendum fœtum mortuum iubet nigri ellebori fibras, tenuiter tritas, quantum huius pulueris tribus digitis apprehendere potes, cum myrrha, ad magnitudinem fabæ, miſcere, & in vino albo ac dulci bibendum offerre.

a) *libr. de morb. mulierum. I.* §. 101.

§. XXXXV.

Ad comitialem morbum tollendum CORN. CELSVS, a) *neceſſarium eſt*, inquit, *ducere aluum, vel nigro veratro purgare, vel vtrumque facere, ſi vires patiuntur. Quod ſi non, quo die primum is incidit, medicus acceſſit, ſed is, qui cadere conſueuit, poſt ei traditus eſt, exſpectandus eſt dies, quo prolabatur, vtendumque tum vel ſanguinis miſſione, vel ductione alui, vel nigro veratro.* Quo loco illud tantum annotare liceat, quare ductionem alui a purgatione diſtinguat tam claris verbis. Nimirum *Celſi* ſtilo, quoties alui ducendæ mentio fit, intelligendum eſt, hoc clyſteribus perficiendum eſſe, vt aliquando plene loquitur b) *plerumque aluus lotionibus ducenda eſt.* Idem CELSVS, c) *veratrum nigrum aut atra bile vexatis, aut cum triſtitia inſanientibus, aut iis, quorum nerui parte aliqua reſoluti ſunt*, dare præcipit, & inter ea medicamenta, quibus deiectionem moliri deceat, primo loco ponit veratrum nigrum, cum filicula, quam polypodion Græci appellarunt.

a) *lib. III. c.* 23.
b) *lib. II. cap.* 12.
c) *loco mox citato.*

§. XXXXVI.

CELSVS etiam veratrum nigrum commendat a) in iocinoris morbo acuto, eiusque principio ſuadet, poſt ſanguinis miſſionem, ventrem ſoluere; ſi non poteſt aliter, per nigrum veratrum. Singulare quoque illud eſt, quod ORIBASIVS b) teſtatur, ſe mulierem quandam vidiſſe a cancro, etiam vlcerato, liberatam a quodam medico in inſula Co, ſola ex elleboro potione. Puto autem nigrum indigitare hunc auctorem, quoniam in BARTH. ZORNII *botanologia*, vnde hunc locum deſumſimus, ad nigrum referri video, quamquam plura illo capite traduntur, quae ad album referenda ſunt.

a) *lib. IV. cap.* 8.

b) *lib. III. de morb. cur.* 28.

§. XXXXVII.

Oribaſio fidem faciet ACTVARII, quamuis recentioris paullulum ſcriptoris, teſtimonium a MATTHIOLO a) allatum, *veratri nigri maximam vim eſſe peculiariter educere, quicquid ſanguini commiſtum eum corrumpit. Ideo inveteraſcentibus arquatis morbis vtile eſſe, & quibus in ſuperficie ſummatim aſperitudines emerſerunt, velut lepris, impetiginibus & horum ſimilibus, elephantia quoque laborantibus accommodatum.* In quam rem recentiorum firmum conſenſum ſuo tempore adducemus.

a) *comment. in Dioſc. lib. IV. c.* 146.

§. XXXXVIII.

Nec minus etiam nigrum elleborum, quam de albo diximus, clyſteribus indiderunt, quibus vteros, ex partu aut inflammatione exulceratos, repurgarent. Talem HIPPOCRATES a) parare iubet ex ellebori nigri duabus potionibus, vino dulci & aqua dilutis. Peſſum quoque vtero intrudere idem b) iubet, ex veratro nigro, cum aqua trito, vt menſes prouocet, ἄγει ἐυτος, οἷον ἀπὸ κρεῶν, ὕδωρ, *menſes, velut aquam a carnibus, ducit.*

a) *de morbis mulier. l.* §. *III.*

b) *ibidem* §. 100.

§. XXXXVIIII.

Vt tandem finem imponamus huic diſſertationi, viſum eſt ex vete-

veteribus collecta quædam monita attexere, quæ & vſum vtriusque ellebori magis proponant, & quando abſtinendum ſit ab eo, edoceant. In vniuerſum veteres tenaces fuiſſe videntur illius HIPPOCRATICI in aphorismis a) *Medicamentis purgare oportere, æſtate quidem ſuperiores magis partes, hieme vero inferiores.* Intelleximus enim ſupra ex Plinio, nullum eſſe dubium, quin æſtate potius quam hyeme per veratrum album vomitus ciendus ſit. Adeoque intelligitur, vomitus eiusmodi, qui ad vniuerſalem corporis repurgationem inſtituitur, aliam habuiſſe eos rationem, quam illius ferme quotidiani apud Græcos & his magis etiam apud Romanos, quem auctor libri *de ſalubri diæta* ita approbat, ſi ſex menſibus hybernis inſtituatur, æſtiuis vero aluus infuſis crebrius ducatur. Nolo autem multis examinare, quibusnam inducti rationibus ita rem inſtituerint, videatur & ipſe citatus libellus & commentatores in laudatum aphorismum.

a) *Sect. IV. aph. 4.*

§. L.

Eſt HIPPOCRATIS ſalubre conſilium: a) *ad veratrum his, qui non facile ſurſum purgantur, ante potionem corpora humectare oportet ampliori cibo ac quiete.* Ante, quam ad ſollemnem & plenum elleborismum quemquam admitterent veteres, experimentum capiebant, quo natura eius maxime inclinaret, vtrum ad infernas an ſupernas purgationes. De eo ſollicite præcipit HIPPOCRATIS libelli de purgantibus fragmentum ab Heurnio, ſi recte memini, primum editum. Nempe dabant experiendi cauſſa medicamenta vomitoria leniſſima, & ex eorum operatione iudicium deſumebant. Pro eo terminum inſtituendæ præparationis longiorem vel breuiorem præfigebant. Humectarunt autem corpus illis, quæ alimentum darent bonum & chylum maxime fluidum maſſæ ſanguineæ infunderent. Ne autem abſumeretur, auctiori tranſpiratione, humiditas illa, inſtituta erat quies ſeu abſtinentia a laboribus & exercitationibus, per illos dies, qui vſum medicamenti proxime præcedebant. Ad illam humectationem corporis recte refertur, ex vſu antiquitatis, temperatorum balneorum vſus, i. e. non nimis calidorum. Quare recte HEVRNIVS: b) *vtatur ergo balneis per quatuor aut quinque dies ante vſum ellebori, ſomno & otio; balneo enim humor funditur.*

a) *Sect. IV. aph. 13.*
b) *comm. ad hunc aphorism.*

§. LI.

Idem HIPPOCRATES a) *ſi vis*, inquit, *veratrum potentius educere per vomitum, moueto corpus; ſi cohibere vomitum cupis; ſomnum concilia neque amplius moue.* Motu enim citatior fit humorum circuitus, idque ſubtile cauſticum, quod purgantibus ineſt, celerius per corpus vniuerſum diſtribuitur, & ad glandulas inteſtinales, vbi humoris eiiciendi copia ſecerni & percolari a ſanguine debet, compellitur.

a) *Sect. IV. aph.* 15.

§. LII.

Veratrum cum periculo ab iis ſumitur, qui ſanas carnes habent; conuulſionem enim adfert. Eſt itidem HIPPOCRATIS a) monitum, quod alibi in genere etiam de quauis purgatione fortiori, in ſanis hominibus adminiſtrata, profert. Non autem ſine ratione carnium facit mentionem, ipſe enim ſe exponit, quales intelligat, quum in illo fragmento, *de elleboriſmo* inſcripto, eos cauere iubeat, qui ſunt nigricantes & ſubſicci, quorum naturam acutam & præcipitem pronunciat in *libello de ſalubri diæta*, & ne illis quidem clyſteres ſalſos ac tenues concedere audet, verum craſſos & pingues, ex lacte, cicerum decocto & ſimilibus. Ratio, ſine dubio, hæc eſt, quod ad hypercatharſes procliues ſunt eiusmodi: quam preſſo pede ſpaſticæ conuulſiones inſequuntur, funeſtum malum, vt nos idem auctor docet, b) quia inflammationis & ſphacelationis eſt præcurſor.

a) *Sect. IV. aph.* 16.
b) *Sect. V. aph.* 1. *&* 4.

§. LIII.

Finem imponat CORNELII CELSI a) præclara ſententia: *vbi longi valentesque morbi ſine febre ſunt, vt comitialis aut inſania, veratro albo vtendum eſt. Id neque hieme neque æſtate (nempe calidiſſima & diebus canicularibus) recte datur: optime vere, tolerabiliter autumno. Quisquis daturus erit, id agere ante debet, vt accepturi corpus humidius ſit. Illud ſcire oportet, omne eiusmodi medicamentum, quod potui datur, non ſemper ægris prodeſſe, ſemper ſanis nocere.*

a) *lib. II. c.* 13.

DIS-

DISSERTATIO III.
DE
ELATERIO.
QVOD
AD MAGNOS MORTALIVM VSVS PARETVR.
HABITA cIↃ IↃCC XXII.

PROOEMIVM.

MVlta veteribus cognita & explorata fuiſſe, quae ad poſteritatis cognitionem non ſunt transmiſſa, plurimis exemplis iam diu probatum, & integris voluminibus euictum eſt. Medicinam ſeorſim intuentes, conſpicimus illam prioribus ſæculis, quibus ortui ſuo propior erat, eamque famam promeruerat, vt illius beneficio ſeruati ad ipſos deos referre tam ſalutaris artis originem non dubitarent, in expedita paupertate ſua diuitiis affluxiſſe, quas nouis ſuis inuentis ſibi plaudens poſterior aetas, vel ob incuriam amiſit, vel nouitatis ſtudio ineſcata peſſum dedit, vt hodie vix vera rerum nomina inueniamus, tantum abeſt, vt vſum reuocare, aut eundem, quem veteres, ab vſu fructum reportare liceat. Poſſem plura afferre obliuioni tradita, ſed ſufficit mihi pauca attingere non quidem penitus ſepulta, attamen tam obſcuri & incerti vſus remedia, vt hodie vix cuiquam liceat in tot medicinam profitentibus voluminibus, verum & certum illorum vſum expiſcari. Quid notius apud veteres erat veratri vtriuſque vſu, ad quem in morborum difficiliorum curatione, tamquam ad ſacram anchoram, confugiebant, cuiusque adhibendi modos tam certos, tamque ſecuros nouerant, vt a multis relatum ſit, ipſis tamquam luſum & iocum fuiſſe elleboro, quem tantopere nos reformidamus, iterato vti. Idem fere fatum fuit Elaterii, quod *ad magnos mortalium vſus parari* PLINIVS a) non immerito cenſuit. Vix aliud remedium tam varia hominum iudicia ſuſtinuit. Vix vllum dabitur, de quo plures in diuerſa abeuntium medicorum ſententias, ſiue praeparandi ſiue adhibendi modum

dum quaeras, colligere, & in ſcenam producere queas, quam cucumeris ſylueſtris hanc ſobolem, quæ in cælum laudibus ab aliquibus extollitur, ab aliis diaboli officinæ transſcribitur. In tanta diſſidentium medicorum contentione operæ pretium mihi viſus ſum facere, ſi collectas & expenſas plurimorum ſententias proponerem; in tanti diſſenſus veras cauſſas inquirerem, &, quid omnino de remedio hoc ſperandum & exſpectandum ſit, breui diſſertatione, exponerem. Tuum erit, beneuole lector, æqua lance a nobis dicenda explorare, noſtrisque meditationibus pretium ſtatuere.

a) *hiſtor. natur. lib. XX. cap. I.*

---

§. I.

VT vero, quae pertinent ad elaterii nomen, breuiſſime tradamus, certum eſt vocabulum eſſe Græcum, quod ab ἐλάω *agito*, *pello*, deductum eſt, & propterea a nonnullis agitatorium exponitur. Vbi non ſine ratione illud etiam notamus, ex veterum ſcriptis conſtare, illos elaterii nomen non ſolum & perpetuo tribuiſſe illi e cucumere agreſti præparato, cui ex recentiorum conſuetudine ſoli hodie tribuitur, verum etiam eodem denotaſſe aliquando quodcunque medicamentum ventrem deorſum purgans, quod, poſt Galenum & Erotianum, pulchre obſeruauit IO. NICOL. PECHLINVS, a) qui idem loca HIPPOCRATIS, quæ pro exemplo ſint, adducit. Ex latinis ſcriptoribus Celſus ac Plinius vocabulum Græcum retinuerunt, neque tamen raro leui circumſcriptioue vocant cucumeris ſylueſtris ſuccum.

a) *de purgantibus cap. XXI.*

§. II.

Quoniam vero elaterium ex cucumere agreſti conficitur, etiam de illo agere, paucis quidem, debemus. De notis, quibus planta hæc cognoſcatur, & ab aliis diſtinguatur, eo pauciora dicere opus eſt, quo notior illa eſt, & vbiuis fere terrarum exſtat. IOAN. RAIVS a) illum refert ad genus herbarum pomiferarum, quarum proprium eſt habere flores nudos monopetalos, margine quinquepartito,

futuri fructus ſummo inſidentes: fructum autem proferre craſſo cortice ſemina, ſed & aliquantum pulpæ, quod male Raius omiſit, includentem. A congeneribus facile quiuis dignoſcet, qui fructum paruum, crebris ſpinulis horridum, & quando maturitatem conſequutus eſt, prompte ſemina ſua, cum viroſo ſucco, eiaculantem, quam primum quis petiolum detraxerit, vel ſemel conſiderauerit. Vocatur etiam *cucumis aſininus*, quæ appellatio ab Arabibus fluxit, quorum lingua hæc planta *Kittau-ibimari*, i. e. aſinorum cucumis dicitur. Germanos noſtros ad eorum imitationem adhibere ſuum Eſels-Kürbs extra controuerſiam poſitum videtur, etſi magis apposite Eſels-Cucumern, vel Eſels-Gurcken vocari poſſint. Vtrum in patria noſtra alicubi vere ſilueſtris ſit, equidem neſcio: in hortis coli, & vbi ſemel fructus maturos tulit, vix vnquam exſtirpari certum eſt. In calidioribus regionibus, vt Italia, Galliæque prouinciis auſtralibus, per omnia moenia, fimeta, areas, rudera & inculta loca illum luxuriare DOMINICI CHABRAEI b) teſtimonio ſcimus. Quin per Indias copioſiſſime illum creſcere IACOBI BONTII c) fide certum eſt. Quo minus dubitandi ratio ſuppetit, Græciæ familiariſſimam hanc eſſe plantam, eamque ſine cultu ibidem ſuccreſcere: vnde apud hos σίκυς ἄγριος, horumque exemplo Latinis *cucumis ſilueſtris* dicta eſt.

a) *Meth. plant. emend. pag.* 70.
b) *in ſtirpium iconibus p.* 135.
c) *de Medicina Indorum p.* 149.

§. III.

Totius plantæ nulla fere pars eſt, quæ non a medicis in vſum vocata ſit. Quoniam vero ſcopi noſtri ratio non permittit omnia iſta plene diſcutere, feſtinamus ad exponendum de illo, quod titulus promittit, nempe vt comprobemus elaterium ad magnos mortalium vſus parari. Id autem ita præſtare conabimur, vt primo oſtendamus, quid ſit verum elaterium, deinde vſus eius ratione & experientia comprobemus, tum aduerſariorum voces audiamus, & rationes, ſi quas adduxerunt, diluamus, tandem hiſtoriis quibusdam practicis totam rem illuſtremus. Si quid inter hæc de cucumeris ſilueſtris reliquarum partium vſibus, occaſione ſic ferente, inſpergetur, ſuperpondii illud loco beneuolus lector accipere non grauabitur.

§. IIII.

Si hodiernos pharmacopolas quæras, quid ſit elaterium? plerique,

que, vel omnes potius, cum IO. SCHROEDERO a) reſpondebunt, *eſſe ſuccum amarum ex fructu cucumeris aſinini expreſſum, inſpiſſatum.* Si veterem illum materiæ medicæ ſcriptorem PEDANIVM DIOSCORIDEM b) conſulas, rem tibi indicabit, quæ ab elaterio officinarum non magis diſtat, quam farina & ſpiritus frumenti poſſunt eſſe diuerſa. Officinarum methodus hæc eſt, vt fructuum cucumeris maturorum exprimant ſuccum, &, vel colando, vel decantando a ſeminibus pulpaque, quam abiiciunt, ſeparent, tumque inſpiſſando ſuper ignem in extracti formam redigant, cui magmati, pulchræ pyxidi incluſo, elaterii bellum nomen adſcribunt, & pro more ſuo annum & menſem adnotant. Hoc, formulis a medico præſcriptis iuſſi, ægris propinant: nec reprehendi magnopere propterea debent, cum diſpenſatoria, pharmacopoeæ, aliique eorum quaſi normales libri id facere eos iubeant. Operoſior eſt modus, quem DIOSCORIDES præſcripſit, nosque, tamquam genuinum, nunc exponemus.

a) *theſaur. pharmacolog.* p. 792.
b) *lib. IV. cap.* 155. *pag.* 300.

§. V.

Ipſius DIOSCORIDIS a) integra verba, quoniam clariſſime rem docent, ex interpretatione IANI ANTONII SARACENI adſcribemus: *E fructu cucumerum agreſtium medicamentum fit, quod elaterium vocatur, ad hunc modum. Cucumeres eligito, qui, ſimul atque tanguntur, quaſi reſiliendo ſuccum intra ſe contentum eiaculentur, eosque decerptos nocte vna ſeruato. Poſtero die impoſito ſupra craterem rariore cribro, inſuperque reſupinato ita cultello, vt aciem ſurſum verſus habeat, prehenſos vtraque manu cucumeres ſingulatim diuidito, humoremque in vas ſubiectum per cribrum exprimito: ſimulque carnoſam cucumerum partem, quæ cribro hæſit, quo & ipſa transmittatur, elidito. Expreſſum ſuccum in vicinam pelvim transfundito. Aceruata autem ſuper cribro ſegminum fruſtula, vbi aqua dulci perfuderis, itidemque expreſſeris, tandem abiicito. Exceptum vero pelui ſuccum agitato ac permiſceto: moxque opertum linteo, ſoli exponito. Ac, vbi coierit, ſupernatantem aquam omnem, cum eo, quod in ſummo ceu ſpuma concretum eſt, effundito: illudque identidem facito, dum aqua ſuperſtabit. Hanc, ſi qua reliqua fuerit, poſtea quam guttatim diligenterque excluſeris, ſedimentum ipſum mortario inditum, conterito, & in paſtillos cogito. Sunt, qui ad coercendam hauriendamque protinus humoris abundantiam, cribratos cineres humi ſternunt, ac in eorum medio excauata foueola triplicatum linteolum obtendunt,*

dunt, cui elaterium cum humiditate ſua infundunt, illaque hoc artificio exhauſta, tandem reſiccatum ipſum, in pila, vti dictum eſt, conterunt. Alii pro dulci aqua marinam affundentes, ita eluunt. Alii in poſtrema lotura mulſum affundunt.

a) *libr. IIII. cap.* 155.

§. VI.

Nihil in hac deſcriptione video, quod ſit difficile & explicatione indigeat, quare ad illuſtrationem eius quidquam addere nolo. Hoc tantum dico, hac via ſi paraueris, te accepturum eſſe elaterium, quod omnes notas, quas in probo deſiderat *Dioſcorides*, ſecum ferat. Ita autem ille pergit: *Elaterium porro optimum creditur, quod cum candore modice humectum eſt, minime ponderoſum, leue, guſtu amariſſimum, quodque lucernae admotum facile accenditur. At, quod porraceum eſt, ſcabrum & ad adſpectum turbidum ac erui cineriſque plenum, graue & vitioſum eſt. Nec deſunt qui cucumeris ſucco amylum immiſceant, vt candorem & leuitatem ementiantur.* Ad *Dioſcoridis* mentem ſuperiori anno elaboraui elaterium primumque experimentum menſe Septembri ineunte, cum multis diebus pluuia tempeſtas fuiſſet, cum viginti cucumeribus ſat maturis, vt apparebant, inſtitui, elaterii autem duo grana inde accepi. Hoc vero πραςίζον, porraceum, multaque humiditate ſcatens, etſi per integrum fere annum iam aſſeruatum, hodieque apparet. Cum vero circa finem eiusdem menſis dies aliquot continui ſereniores eſſent, iamque ſe maturorum cucumerum maior & melior prouentus præberet, ex quinquaginta fructibus methodo eadem præparaui elaterium ex albo parum virideſcens, & quod ſiccatum in puluerem redigi apte potuit. Tota quantitas non vltra quatuor grana appendit.

§. VII.

Apparet ex dictis, quænam ſint veræ notæ elaterii optimi, ſimulque puto clarum eſſe, multum in eo ſitum, qualis tempeſtas ſit, & quam mature excocti cucumeres ad illud præparandum adhibeantur, cum illud porraceum & non modice humectum ſit, & maneat, quod humida & pluuia tempeſtate diu prægreſſa elaboratum fuit; alterum ad albedinem etiam ſiccitatem talem acquiſiuerit, vt pulueris ad modum diſpenſari poſſit. Ex quo duplicem concluſionem facere licebit, primo, quo magis ad ſudum & calidum cœlum maturu-

ere fructus, eo candidius, eoque melius eſſe euaſurum medicamentum: &, quod ex lege contrariorum ſequitur, peius id euaſurum, quod ex fructibus plenam maturitatem non conſequutis præparatur. Conſentientem in eo nobis habemus B. FRID. HOFFMANNVM, a) qui monet, multum intereſſe, quomodo præparetur elaterium, multumque virulentiæ metuendum eſſe ab illo, quod ex immaturis fructibus conficitur. Atque vt conſtans & perpetuum eſt in vegetabilium generibus, vt longe dulciora, aut alias in ſuo genere nobiliora ſint, quae ſub cælo calidiore naſcuntur, illis, quae in frigida regione colimus, non iniuria concludere licebit, illi, in Græcia viciniſque terris primum nobilitato medicamento, vires maiores nobilioresque fuiſſe, quam exſpectare ab illo poſſis, quod in frigida regione optimum prouenit.

a) *Clav. Schrœder. p.* 636.

§. VIII.

Ex PLINIO addere hic liceat, quod ad Dioſcoridis ſenſum melius percipiendum magnopere facit, nimirum laudari ab eo elaterium *pallidum*, non requiri poſitiue album. Pallidum autem intelligimus, vt in re præſenti opus eſt, quod ita albet, vt aliquid tamen ex viridi trahere ſecum videatur. Sicque intelligendos puto auctores, elaterium album commendantes. Scilicet nihil aliud intelligi debet, niſi pars pulpoſa, quam cucumeris ſilueſtris fructus maturi continent, quæque, dum inciduntur ſupra cribrum cucumeres atque exprimuntur, vna cum humiditate effluit. Vt autem carnoſa hæc pars a ſeminibus ſimul exſilientibus liberetur, & per cribrum transmittatur, aquam affundi, & cribrum agitari opus eſt. Deinde aquei ſeparatione ab eo, quod probe fundum petiit, ſolicite facta, ſedimentum exhibet medicamentum, in ſole, vel alio modo blando, ſiccandum. Poſſemus itaque non incommode vocare fructuum cucumeris agreſtis fæculas, quo nomine ſæpe vſum invenio THOM. SYDENHAM, qui tamen vtrum ad Dioſcoridis mentem e fructibus, an officinarum exemplo ex radicibus, quemadmodum ſunt ari bryoniæque fæculæ, parauerit, nullo certo indicio cognouimus.

§. VIIII.

Ex ſuperioribus omnes intelligent, quid ſit & quomodo paretur elaterium album, cuius medici quidam recentiores, etſi rarius, me-

meminerunt. HENRICVS AB HEER alicubi laudes eius mirifice prædicat, ſeque præparandi modum alibi traditurum promittit: vbi vero fidem datam liberauerit, non deprehendimus in omnibus eius, quae hoc fine ſtudioſe perlegimus, ſcriptis. Videtur certe, pro arcano ſibi reſeruaſſe. Patauinos medicos ſecretum tenuiſſe idem remedium, ex loco GABRIELIS FALLOPII inferius adducendo patebit. Omnium forte recentiorum, quos videre licuit, maxime ingenue de eo ſcripſit PETRVS POMET a) his verbis: *On tire auſſi de ces fruits une fecule, qui eſt ce que quelques-uns appellent Elaterium blanc.*

a) *Hiſtoire gener. des drogues.*

§. X.

Veteres igitur, dum carnoſam partem, abiecta aquea prorſusque neglecta, pro elaterio ſolam adhibuerunt: & recentiores, dum elaterii albi unum granum plus operari, quam decem elaterii officinalis, teſtantur: ſatis decidunt controuerſiam illam, quam B. CASPAR. HOFFMANNVS a) propoſuit, nec recte ſane diiudicauit, dum pro certo & indubio ſupponit, aquam eſſe, a qua primaria vis purgatoria emanat. Quare in re manifeſta nolumus verba perdere.

a) *Lect. variar. pag. 58. 59. P. I. p. 304.*

§. XI.

Sed plura ſunt, quae doctis viris curam aliquam iniecerunt, quæ effecit, vt non acquieſcerent iſti, quem hactenus declarauimus & adſeruimus, modo elaterium parandi Dioſcorideo. Scilicet offendiculo illis fuit, quod Dioſcorides de elaterio ſcribit, laudabilis & boni notas inter alias has eſſe, vt cum candore modice humectum ſit, & candelæ admotum facile accendatur: quum ipſo antiquior multo THEOPHRASTVS ERESIVS a) contrarium tradere videatur. En ipſius propria verba: πάντων δὲ ὅλως τῶν φαρμάκων πλεῖστον διαμένει χρόνον τὸ ἐλατήριον, καὶ τὸ παλαιότατον ἄριστον. - αἰτία δὲ τῆς χρονιότητος ἡ ὑγρότης - ἄχρι πεντήκοντα ἐτῶν σβέννυσι προσαγόμενον τοὺς λύχνους. *Omnium autem medicumentorum diutiſſime durat elaterium, & optimum id eſt, quod vetuſtiſſimum. - Cauſſa autem, ob quam tam longo tempore ſeruari poteſt, humoris eſt copia - vſque ad quinquageſimum annum candelas, quibus admouetur, exſtinguit.* Iam quum Dioſcorides dicat, quod elaterium ſit λύχνῳ προσαχθὲν εὐκαές, *lucernæ admotum facile accendatur*: Theophraſtus autem, quod lucernas exſtinguat: inde contradictionem aliquam exſculpunt. Ex quo factum

 eſt

eſt, vt quiſque fere ſcriptor mederi illi contradictioni, ſuo quiſque ingenio & artificio, conatus ſit. Nolo omnia longo ordine ediſſerere: adeat, quibus volupe eſt hæc cognoſcere, CASP. HOFFMANNVM b) & IO. ANT. SARACENVM, c) vt & doctos viros, qui Dioſcoridi ac Theophraſto notis ſuis illuſtrando operam dederunt.

a) *hiſtor. plantar. libr. IX. cap. XIIII.*
b) *Variar. lection. libr. II. cap.* 2. 3. 4. 5.
c) *in notis ad Dioſcoridem pag.* 96.

§. XII.

Enimuero mirum videtur, qui potuerint tanti viri tantos fluctus in ſimpulo mouere, & criticum acumen tentare, vbi phyſica quæſtio eſt, obuiis experimentis facillime decidenda. Quid enim eſt, in quo ſe impugnant, qui de elaterio dicunt, quod facile ignem a lucerna arripiat, eandemque exſtinguat? Annon hoc videmus idem fieri, ſi ligni betulini aliquas virgulas, aut ramos iuniperi quoſdam lucernæ admoueamus? Concipiunt vtique ignem, ſed tantopere efflat diſſipata & erumpens humiditas, vt candelam facile exſtinguat. Et quid magis eſt εὐκαὴς, inflammabile, quam puluis pyrius? Admoue illum candelæ vt incendatur: mirum erit, ſi non lucernam tuam illico exſtinguat. Ad hunc modum intelligendos eſſe veteres; cum res ipſa docet, tum PLINIVS, qui *veri*, inquit, *hoc experimentum eſt, ſi lucernæ admotum, prius quam exſtinguat, ſcintillare ſurſum ac deorſum cogat.* Fruſtra igitur ſpeculati ſunt quidam alium modum parandi elaterium, quod eſſet εὐκαὴς, ſcilicet ex medulla ſeminulorum. Nam ſi impetrent, quod facile largior futurum, magma aliquod album & inflammabile; idem tamen ſentient non eſſe guſtu amariſſimum, &, ſi ad vſum vocauerint, virtutem potenter ſeriducam omnino deſiderabunt. Fructuum enim cucumeris agreſtis atque colocynthidis medullæ in eo conueniunt, vt ſint dulces, inſtar cucumerum atque cucurbitarum ſeminum, quæ cultura accepimus: quod experiendo diſcere poteſt, quiſquis de hoc dubitat.

§. XIII.

Non immerito autem quærere poſſis, qui factum ſit, vt recentiores, quum Dioſcoridem habuerint ducem, abiecta carne aquam retinuerint, & ex ea elaterium ſegne pararint. Culpam hanc in Arabes reiicere oportet, quorum manibus officinas pharmaceuticas noſtras

ſtras inſtructas eſſe, nulli hiſtoriam medicinæ curioſius ſcrutato obſcurum eſſe poteſt. Certe AVICENNA a) cum elaterium parare iubet, in hunc modum loquitur: *accipiunt cucumeris aſinini fructum in fine æſtatis, poſtquam eſt citrinus, & ſuſpenditur in panno, vt currat eius aqua, & coletur, & exſiccatur in ſcutella ſuper cinerem, & ponitur ſuper tabulam in vmbra.* Cum Auicenna conſentit IO. MESVE, b) quem euangeliſtam medicorum olim putabant, qui pariter de cucumere aſinino ſic loquitur: *melior pars plantæ eſt fructus, & proprie eius completi* (i. e. maturi) *ſuccus.* Pergit deinde, & deſcribit operationem ſucci eius, i. e. præparationem, hunc in modum: *accipe ex ſucco eorum quantitatem quam volueris, & proprie, quando citrineſcunt, & ſunt maturitatis completæ, & fiat extractio ſucci cum facilitate, non cum compreſſione laborioſa, & exſiccetur.* Si itaque princeps cum euangeliſta medicorum nihil aliud præſcripſerunt, quis medio illo æuo, vbi Arabes ſoli regnabant, aduerſus hos agere aut conſtituere quidquam auſus fuiſſet?

a) *libr. II. tractat II. cap. 180. pag. 304. edit. Venet.*
b) *de ſimplicibus fol. m. 38. a.*

§. XIIII.

Non immerito itaque quæramus, quid ſtatuendum ſit de officinarum elaterio ſeu ſucco cucumeris agreſtis, inſpiſſato. Minime autem putamus, illud eſſe reprobandum omnino aut abiiciendum, immo, vt verum fateamur, pleræque obſeruationes, inferius recenſendæ, exhibent hiſtorias curationum elaterio illo officinali peractarum. Illud autem probe obſeruari debet, non eſſe eandem efficaciam alterutro modo præparato, longeque fortius illud operari, quod ex pulpa, quam quod ex ſucco per inſpiſſationem paratum eſt. Veteres, vt fere omnium euacuantium medicinarum doſes, longe, quam apud nos quiſquam audeat, largiores præbuerunt, teſte *Dioſcoride*, a ſemiobulo ad obolum præſcripſerunt, i. e. a quinque ad decem grana, quod quidem vt quisquam imitetur, nulli auctor eſſe velim. IO. MESVE in ſegniori ſuo elaterio iubet a decem granis vſque ad tertiam partem drachmæ aſcendere. Quid probati medici de facto auſi ſint, & quousque quantitatem extenderint, volo per exempla vel eorum propria verba oſtendere.

§. XV.

Prius autem quam de modo recte adhibendi elaterium loquamur,

mur, de natura & viribus eius pauca præmonenda ſunt, quæ breuiſſimis ſubiungam. Ineſſe elaterio ſalem acerrimum volatilem inde volunt auctores quam maxime probare, quod IO. BODAEVS A STAPEL a) narrat, parentem ſuum narrauiſſe, quod auus narrauerit, ſibi aliquoties accidiſſe, cum ſuccum ex fructibus cucumeris aſinini colligeret, ad elaterii confectionem, vt tota ei facies intumeſceret per multos dies: poſt totam faciem in veſicas abiiſſe, quum nihil tamen ſucci faciem eius attigiſſet, ſed ſolus vapor. Magis etiam tragice rem illam, diſſimulato licet auctoris nomine, exponit IO. NICOL. PECHLINVS b) tamquam omnes ſuccum hunc tractantes, neſcio quid acuminis experirentur, quo in momento vultus in puſtulas ventoſosque tumores attollatur, ipſæque contrectantium manus, crasſiſſimi alias ſenſus, dolentiſſimis excruciarentur maculis. Sed eſto, auum IO. BODAEI id aliquoties expertum eſſe, quum ſuccum hunc colligeret: an veroſimile eſt, in tanta ſcribentium multitudine non obtigiſſe vlli exemplum ſimile, quod in admonitionem poſterorum litteris conſignatum relinqueret? Exempla ſunt illorum, qui lipothymias, immo graues ſyncopas paſſi ſunt, ſimulac felis, ipſis etiam non ſentientibus, conclaue, vbi degebant, ſubintrauit, ibique aliquantulum delituit. Adeone concludemus, e felibus exhalare omnibus hominibus tam noxium, viribusque tam ſubito reſoluendis aptum, virus? Quantæ, bone Deus! clades humano generi inferrentur quotannis per regiones Italiæ Galliæque Narbonnenſis, vbi, auctore LOBELIO, apud CHABRAEVM, c) pueri ludibundi fructus turgentes in faciem ſibi inuicem elidunt, ſuccoque peramaro & viroſo os oculosque perfundunt. Equidem ſancte teſtari poſſum, quum ſuperiori anno elaterium bis pararem, & quum multos ante annos Halæ præparationi in pharmacopolio adeſſem, nec mihi nec aliis, in hoc opere occupatis, vllum accidiſſe incommodum, etſi manibus, quo ſuccus & pulpa magis exprimerentur, minime parſum fuit. Sed liceat formidoloſam illam hiſtoriam in claſſem extraordinariorum referre, aut, ſi mauis, inter figmenta, quæ ſeplaſiarii excogitant, vt mercibus ſuis maius concilient pretium.

a) *apud* GVERNER. ROLFINCIVM *de purg. vegetab. p.* 160. Ipſe locus viſendus eſt in notis ad THEOPHR. ERESII *hiſt. plantar. libr. IX. cap. 9. pag.* 1042.

b) *de purgant. p.* 242.

c) *Stirpium icon. pag.* 135.

§. XVI.

§. XVI.

Quum hyperbolas iſtiusmodi proſcriptas, nec tam lubricam ob ratiunculam infamari opto remedium, humani generis magno bono natum, propterea non abſolute negauerim, elaterio ineſſe principium ſalinum, idque acre quodammodo, immo etiam ex parte volatile cum parte reſinoſa inflammabili. Volatile quid ipſi ineſſe probat, quod ætate miteſcit, vt omnes veteres admonent, nec vlli permittere volunt, vt ante bimatum in vſum vocetur. Ex eadem ratione ſcilicet, quod volatile ſecedit, puto fieri, vt elaterium officinarum, ſeu ſuccus cucumerum inſpiſſatus adeo debiles exſerit vires, multumque ſuperatur ab altero, ignem non experto. Acredinem poſſidere, ex eo perſuadeor, quod veteres calefaciendi, digerendi exedendique ſcopo variis modis externe elaterium adhibuerunt, vt anginis diſcutiendis, obſcuritatibus & vitiis oculorum ſanandis, vlceribus repurgandis. Immo ipſe catharticus, quem edit, effectus, in doſi tamen non magna, eiusmodi principiorum fidem facit. Sed pluribus hic videndum ſuadeo MARTINVM LISTERVM. a)

a) *Exercitat. medica de hydrope pag. m.* 44. *ſeqq.*

§. XVII.

Nolo iam exſpatiari in ſpecioſas illas commentationes de principiis atque modo operandi remediorum purgantium, in quibus auctores quoſdam adeo diſertos videas, tamquam ipſi diſpenſatores virium illarum fuiſſent, aut naturæ conditori in mixtione ſimplicium adminiſtras præbuiſſent manus. Sed illud non eſt diſſimulandum, multa in eiusmodi doctrinis infirmiſſimo ſtare talo, non pauca diſſimulari, aliqua ſæpe addi & ſuppleri, ne omnino immedicabilis humanæ mentis arrogantia quidquam ſe neſcire ingenue fateri cogatur. Quid autem iuuaret vel me vel alium, ſi paſſim inculcata dogmata de ſale purgantium cum ſulphure certis modificationibus complicato; quid ſi antiquam controuerſiam, an purgantia electiue trahant humores; quid ſi purgantium ſapam accuratiſſime ediſſererem, & quantum volatilis, ſalſi, oleoſi contineant, ad ſabuli minimi pondus determinarem, hæcque omnia ad elaterium amplo ſermone accommodare niterer? Fouent hæc ſane oſtentationem, doctrinam medicam haud continent, *certeque*, vt LISTERI aurea verba adſcribam: *omnis diligentiæ, rebus naturæ accurate indagandis adhibendæ, peſtis & perniciei ſunt.*

ſunt. Quare me potius accingo virtutibus elaterii ſingulatim recenſendis.

§. XVIII.

Præcipua ipſius laus eſt, quod aquas in corpore ſtagnantes & œdemata inducentes, tum vero etiam in hydropicorum corporibus extrauaſatas, promptiſſime & certiſſime educit. Hanc virtutem DIOSCORIDES breuibus verbis indicat: *bilem & pituitam per inferna pariter ac ſuperna trahit.* Breuius etiam PLINIVS: *contra phthiriaſin bibitur & hydropiſes.* AVICENNA, etſi de elaterio non proprie, de cucumere tamen, præclare ſic ſentit: *confert hydropiſi, extrahendo aquoſitatem mirabiliter ſine nocumento, quando in potu datur de radice eius obolus & ſemis* (grana XV.) - *Et bibitur cum aqua mellis & confert vehementer & manifeſte, & prouocat facile ſine læſione*, ET NON EST STOMACHO NOCIVVM.

§. XVIIII.

Ex recentioribus nubem teſtium de egregio ad hydropicos curandos vſu elaterii liceret excitare: ſed iuuabit præſtantiſſimorum aliquem adducere manipulum. Ex Italis præcipue eminet practica laude HERCVLES SAXONIA, qui, poſtquam multa ad euacuationem in hydropicis laudata recenſuerat, tandem hæc verba ſubdit: a) *Fortiſſimum medicamentum eſt ſuccus cucumeris agreſtis, qui dicitur elaterium, ſi dentur eius grana III. extracti per punctionem: ſi enim per expreſſionem extrahatur, dantur eius grana VIII vel X. Ego ſoleo elaterium præbere in pilula aliqua e. g. accipio pilularum alephanginarum ſcrupulum vnum, & impono elaterii grana III. vel IIII.* Quod hic dicit de elaterio per ſimplicem punctionem extracto, credo intelligendum eſſe de albo: hunc virum autem, vel quod ipſe ſic parari credidit, vel quod arcanum Patauinorum celare voluit, obſcure de induſtria ſcripſiſſe. Huic merito iungimus collegam pariter ac antagoniſtam celeberrimum ALEXANDRVM MASSARIAM, ſed in laudando ac defendendo elaterio plane concordem: cuius verba, quia notatu ſunt digniſſima, adſcribam: *Elaterium - fortaſſe purganda aqua ceteris omnibus validius eſt & efficacius: ac ſane, etſi aliter vulgus medicorum opinetur*, MEDICAMENTVM NON EST ADMODVM MOLESTVM ET LABORIOSVM. *De doſi eius non conuenit inter omnes. Venetiis, ante nonnullos menſes, accuſatus fuit apud magiſtratum quidam medicus Muranenſis, qui ordinauerat cuidam mulieri integram drachmam elaterii, & tamen*

men cunctorum ſuffragiis fuit abſolutus. Ego vero, qui hoc medicamento iam per triginta & plures annos FREQVENTER ET FAMILIARITER *vtor, non ſolum in ducenda aqua hydropicorum, ſed etiam ſpeciatim in ducenda aqua thermarum, ſi quando illa detineatur in corpore, modo tria, modo quatuor, modo quinque grana exhibere conſueui, & numquam grana ſex excedere ſum auſus.* b) Paulo inferius tertium ſcholae Patauinae Doctorem excitabo elaterii praeconem. Nec praetermittendum puto ALEXANDRVM BENEDICTVM c) qui, de hydrope aſcite agens, in hunc modum ſcribit: *nouimus Hiſpanum quendam empiricum, qui pilulam ex ſucco cucumeris ſilueſtris, ciceris magnitudine, cum vini Cretici aut Rhaetici vnciis IV. dabat purgare volentibus: ſemicongius aquae detrahebatur. Delicatioribus cum vino datur, in quo rheum barbarum prius infuſum fuerat: totam quandoque aquam vna die extrahit.*

a) *practic. medicin. lib. III. p.* 301.

b) videatur *practica medica Taruiſii edita p.* 189. *nec non* 474. *&* 475.

c) Operum Baſileae 1508. editorum *libr. XV. cap.* 36. *pag.* 293.

§. XX.

Italis ſubiungo duos Britannos, vtrumque experientiſſimum medicum, MARTINVM LISTERVM, cuius fere tota exercitatio medicinalis de hydrope, eſt elaterii commendatio; & THOMAM SYDENHAM, cuius de eodem argumento tractatus omnium manibus teritur, omnium ore merito laudatur. Et Sydenhamum quidem adhibuiſſe album elaterium, his eius verbis, quae ſimul medicamentum egregie commendant, facile perſuadeor: a) *Elaterium ſiue* FAECVLA CVCVMERIS AGRESTIS *potenter, in permodica quantitate, vires ſuas exſerit in conturbanda aluo, & faecibus, cum ſeroſis & aquoſis humoribus, copioſe egerendis, adeo, vt eius grana duo plerisque, in genere loquendo, corporibus doſis aptiſſima ſint.* LISTERVS ita elaterium laudat, vt ſimul exempla curationum pulcherrima exhibeat, & vires medicinae huius aduerſus omnia diſſentientium tela fortiſſime propugnet, quem virum vt omnes adeant, nihil ex venuſtiſſima exercitatione illius huc transferemus.

a) *tract. de hydrope p.* 617. *edit. Lipſ.*

§. XXI.

Britannis Batauos iungimus. Ex his IOANNEM HEVRNIVM a) primo audiemus, ita teſtantem: *nullum aquaeducum aeque valet ad ex-*

exhauſtionem aquæ, *ac hoc nobile remedium.* *Hoc elicit aquam eam, quæ in abdomen effluxit, quæque extra venoſum genus elapſa intra omentum & inteſtina natat. Reliqua fere eam aquam prolectant, quæ venis adhuc contenta paruo negotio elabi poteſt; ſed difficile eſt hanc reſorbere, ac ad inteſtina reuehere, iam ſemel effuſam.* IACOBVS autem BONTIVS b) ex ipſis Indiis Orientalibus elaterio probitatis teſtimonium transmiſit: *creſcit hic ſumma in copia cucumer aſininus, vnde Elaterii ſuccum non ſemel confecimus, cuius ſcrupulum ad drachmam dimidiam, non ſine magno ſucceſſu, ægris ſæpe exhibuimus.*

a) *method. ad prax. pag.* 242. Adde eiuſdem commentarium ad HIPPOCRATIS *aphoriſmos ſect. VII.* 29. vbi præcipit, vt optimi elaterii gr. VI. vel VII. pilulis alephanginis permixta dentur. Heurnium ſequi videtur HERM. BOERHAAVE in libello *de mater. medica ad aphoriſm.* 1245. quanquam recentior editio tantum grana IV. cum ſyrupo de baccis rhamni cathartici ſumenda præcipit. Qui duumuiri ſi elaterium album in animo habuerunt, næ magnam doſin ordinant: ſi nigrum ſeu extractum cogitauerunt, nimis longe infra iuſtam quantitatem ſubſtiterunt.

b) *de medicin. Indorum p. m.* 149.

§. XXII.

Inter Germanos medicos elaterii laudes non pauci ſummi viri valde prædicant, vſumque commendant. B. FRID. HOFFMANNVS a) *hydragogum excellentiſſimum* vocat, cum quo plane conſentientem video D. ETTMVLLERVM, qui idem de D. MICHAELE refert, ipſum ab huius remedii vſu minime abhorruiſſe. Reuera tamen pauciores videas, qui de ſua experientia difertis verbis multum exponant. *Hieronymus* quidem REVSNERVS b) inſignem ipſi laudem conciliat, quando refert, ſe vidiſſe empiricum, qui plurimos hydropicos perfecte reſtituit, exhibitis duabus pilulis ciceris magnitudine ex farina tritici & ſucco cucumeris aſinini efformatis, vnde copioſa purgatio aquarum ſequuta fuit. Forte elaterii vſum manibus noſtrorum excuſſit Chemiæ amor, quo ſe inter Europæ medicos primi omnium maxime ineſcari abripique paſſi ſunt, vt ſimplicibus nuncium fere mitterent, arcana vero & ex metallicis præparata plerique ſectarentur.

a) *claui Schrœder. p.* 436.

b) *obſeruat. med. CLXVII.* quod autem de farina triticea addit, forte ex

illa

illa perſuaſione credidit, quod album non poſſit parari, niſi virideſcenti cucumeris ſucco amylum aut farina admiſceatur.

§. XXIII.

Sat multos nobis videmur produxiſſe teſtes, eosque idoneos, quorum fide de inſigni efficacia elaterii ad aquas hydropicorum euacuandas certiores reddimur. Progredimur nunc ad alteram virtutem, priori analogam: ſcilicet ad prædicandam efficaciam in aquis thermarum potis, ſed reſtagnantibus & hydropem, qui anaſarca dicitur, minitantibus, promptiſſime expellendis. De hac ſuperius iam audiuimus aliqua obiter recitantem MASSARIAM, ſed plena oratione profitentem auſcultabimus nunc GABRIELEM FALLOPIVM: a) *quod ſi aqua ſtagnet in venis - ſupereſt tantum euacuatio per inteſtina, quæ commendatur. Et ipſa vtuntur, quoties offertur occaſio, excellentiſſimi medici iſti Patauini, & nos cum ipſis. Sed quo medicamento id faciant, credo vos huc vſque non audiuiſſe: quoniam ipſi ſecretum tenent. Nec alibi extra hanc vrbem eſt in vſu medicamentum, quo in hoc caſu vtuntur. Ego vero, quia vos fratrum filiorumque loco habeo omnes & amo, non poſſum vobis non communicare ac detegere medicamentum, quo certe in re hac inueniri non poteſt præſtantius. Capimus pilularum alephanginarum & maſtichinarum ſcrupulum, & addimus vnum vel duo ad plus grana elaterii optimi: & facta pillula ex his duobus ſimul mixtis, ipſam exhibemus ſecunda die, veſpertina hora, per dimidiam vel integram horam ante cœnam. Sed animaduertatis, ne quantitas elaterii excedat duo grana, quia maximum eſt medicamentum. Vnde hortor vos etiam, vt, quando vnum vel alterum dumtaxat granum exhibueritis, non dicatis cuiquam, ne ſuccedens poſtea aliquod graue ſymptoma, vobis adſcribatur damno & dedecori. Et hæc eſt fortaſſe cauſa, cur medici iſti doctiſſimi nolunt vobis medicamentum communicare. Tamen, vt dixi, medicamentum eſt præſtantiſſimum, & ipſo vtuntur medici noſtri, & nos cum ipſis, quotiescunque datur occaſio; & res feliciter ſuccedit.*

a) *de medicatis aquis atque de foſſilibus p. 55. b. edit. Venet.*

§. XXIIII.

Commendatum audiuimus elaterium optimum; vbi inſignis cautela, de doſi exigua præbenda, credere iubet, *Fallopium & Patauinos* adhibuiſſe album, illud ſcilicet, quod ad Dioſcoridis mentem paratum eſt: nam de officinali noſtratium vanus eſſet hic metus. Confirmat hanc noſtram ſententiam HENR. AB HEER, a) qui in ſinu

gaudet, quod albi illius conficiendi modum teneat, diſerteque teſtatur, vnicum huius granum ad aquas thermales expurgandas plus valere, quam plurima vulgaris elaterii. Italorum praxin in adminiſtrando fontium ſalubrium vſu ad Germanos noſtros perueniſſe, indeque deductum in patriam fuiſſe a noſtratibus, qui ſæculis XV. & XVI. fere omnes medicinæ diſcendæ cauſa Italiam petebant, nemini hiſtoriarum gnaro obſcurum eſſe poteſt. Quo minus mirari oportet, ſi primi, qui conſilio ſuo ad fontes ablegatos ægrotos dirigebant, medici Germani, eodem remedio vſi ſunt, vt apparet ex epiſtolis D. IOANNIS NAEVII. b)

a) *Spadacrenes cap. XIV. pag. m.* 124. *edit. Lipſ.* 1645.

b) WENCESL. PAYERI *tractatui de thermis Carolinis in edit. Lipſienſi* 1614. *annexis pag.* 83. 96.

§. XXV.

Vſum elaterii internum ad aquas hydropicorum, tum vero etiam ad ſtagnantes thermarum aquas educendas eximium hactenus propriis fere auctorum verbis expoſuimus. Vnicum addere liceat, quod tam *Dioſcoridis* quam *Auicennæ* teſtimonio anheloſis & difficulter reſpirantibus inſigni elogio commendetur. Iſtas autem laudes facile admittet, quiſquis cogitauerit, quoties pectus ſeroſa colluuie refertum impeditam reſpirationem faciat: qua ablata faciliorem illam reddi poſſe, abſque magno negotio colligi poteſt. Vidimus in anatomicis demonſtrationibus, quoties vaſis pulmonalibus arterioſis vel aqua vel flatus fortiter immittebantur, breui interiecto temporis ſpatio ad latera illorum vaſorum intumuiſſe aliquid veſiculoſum, nouum quoddam vaſorum genus referens, lymphaticis certe non ſatis reſpondens: ex quo non immerito concludimus, idem in viuentibus animalibus accidere, quotiescunque ſanguinem pulmones non ſatis expedite transmittunt; nimirum ſecedere tunc fluidiſſimam ſanguinis partem, & ex vaſis ſuis elabi, ſicque particulare quoddam pulmonum quaſi œdema naſci, quod niſi prompte expediatur, hydropis pectoris cauſam gignat. Tali caſu mirifice ſuccurrere poſſe elaterium, nulli dubitamus. Sed & ARETAEVS audiendus eſt, qui alium vſum nos docet, vbi de angina curanda præcipit. a) Scilicet *ſi deglutiendi via expeditiſſima ſit, elaterium cum mulſa & ſero lactis, quantum ad purgandum hominem ſatis ſit, præbeatur. Aliis enim purgatoriis elaterium in his ægrotis præſtantius eſt.*

a) *Curat. acutor. lib. I. cap. 7. pag. 87.*

§. XXVI.

§. XXVI.

Apparet, niſi fallor, ex hactenus allatis, quid medici laudatiſſimi ab elaterio conſequuti ſint, & quomodo circa vſum verſati fuerint. Nimirum non habuerunt pro medicina ſimpliciter purgante, quam quis ſine conditione cuiuis purgatione opus habenti propinet: ſed certis caſibus adſtrinxerunt eius vſum, ſicque viderunt effectus, quos candido animo poſteritati laudare & commendare debuerunt. Quumque alii vterentur albo ad Dioſcoridis mentem parato, alii ad officinarum methodum ex ſucco elaboratum adhiberent, non eadem quantitate ſingulos dediſſe aut doſin præſcripſiſſe, minime erit admirandum, maxime potius adnotandum & laudandum. De vſibus externis aliqua adiiceremus, niſi nos breuitatis ſtudium & inſtituti rationes nunc retinerent.

§. XXVII.

Progredimur itaque ad producendos accuſatores elaterii, quos audire, & eorum obiectionibus ſatisfacere vt æquiſſimum, ita non difficillimum exiſtimamus. Merito autem illos primum audimus, qui elaterium venenis accenſent. Hos vero mitiſſime nobiscum acturos putamus, ſi pro certo ſtatuemus, eos, vtpote hac opinione imbutos, elaterio, veneno ſcilicet, apud ægrotos fidei ſuæ commiſſos non vti, adeoque experientia nulla propria niti. Quicquid igitur, tamquam veneni certa ſigna, de elaterio prædicant, id aliorum fidei innitetur, vel fruſtra dictum erit. Si vero venenatam purgantium indolem probat, quod in parua doſi propinata celeriter ac fortiter humores euacuant, cum ventris torminibus viriumque lapſu; de elaterio omnino concedimns, illud in parua doſi copioſi euacuare: quod vero hæc euacuatio cum ventris torminibus viriumque lapſu coniuncta ſit, ſi detur homini, cui œdemata hydropem anaſarca minitantia, vel hydrops aſcites moleſtiam creant, id rotunde abſoluteque negamus. Temporibus medicina valet, data tempore proſunt. Et quidem hoc maximum eſt elaterii beneficium, quod poſt peractum officium illico hominem ſe ipſo valentiorem, leuiorem, immo bene appetentem, & dormientem reddit. Hane laudem ipſi AVICENNA a) tribuit, LISTERVS confirmat, nos inferius allatis exemplis comprobabimus. Si vero quisquam contraria exempla (qualia nobis numquam obtigerunt) obſeruaſſe ſibi viſus fuerit, cogitet, vtrum datum ſit ſubiectis, quibus conueniebat? Vtrum doſi iuſta? Vtrum ſolum, an

 vero,

vero, vt peruerſiſſimus mos eſt, multis aliis catharticis, quo pharmacopœus formulam longam eximie laudet, permixtum, aut fruſtraneis correctoriis, pro ſuppoſita venenoſitate inuertenda, corruptum? an denique, ſi pharmacopola vel medicus forte album elaterium dedit, illud annos ſufficientes habuerit? Quæ omnia ſi rite examinauerit, morem inſuper ægri conſideret, quum inter medicos omnes notiſſimum ſit, quoſdam ventres prorſus contemnere omnia pharmaca, quoſdam homines leuiſſimorum ſolo odore vel aſpectu vehementer moueri.

a) *Operum latine verſorum p.* 304. *edit. Venet.*

§. XXVIII.

Si cui ad formidinem eximendam hæc non ſufficiant, cogitet, quantus venenatorum remediorum chorus ſit in officinis: quum omnia purgantia in illam claſſem referantur ab iisdem, qui elaterium eo transferunt: & legat, ſi placet, medici Vlmenſis D. D. MELCHIORIS FRICCII tractatum medicum: *de virtute venenorum medica*, qui de veneno hoc, elaterio inquam, integro capite nono, tam præclara exhibet, vt vel ipſa radix Ninſi, vel cum lapide Bezoar omnes pretioſi, cum omnibus margaritis, venena dici optare deberent, vt tam præclaras verasque laudes redimerent.

§. XXVIIII.

WILLISIVM alicubi ſcripſiſſe: *illos, qui elateria aliqua pharmacia vtuntur, cane peius & angue vitandos eſſe*, LISTERVS commemorat, eundemque propterea caſtigat. Hæc quidem verba in laudatisſimi viri operibus latine exſtantibus nondum conſpeximus: ſufficit tamen elaterio ab hoc accuſatore vindicando, quod ipſe WILLISIVS a) alibi laudat, & inter formularum, aſcitico præſcribendarum, exempla, aliquot exhibet elaterio armata.

a) *pharmac. rationalis part. II. pag.* 138.

§. XXX.

REINERVM SOLENANDRVM, decus illud Germaniæ medicorum, elaterii accuſatorem fere vehementiſſimum nuper fecit diligentiſſimus & optimus auctor botanologiæ medicæ D. D. BARTHOLOMAEVS ZORNIVS: quippe, ſi ipſi fidem præbemus, diaboli officinæ ab REINERO adſcriptum eſt. Sed quiſquis Reineri Solenandri

dri ſcripta diligenter reuoluet, Ipecacuanham citius aut Pareiram brauam, quam verbulum ad elaterii accuſationem pertinens, in illis reperiet. Fontem erroris huius tandem detexiſſe nobis viſi ſumus, quum Academiæ Altorfinæ celeberrimi olim doctoris CASPARI HOFFMANNI a) inſtitutiones euolueremus. Is enim, quum de doſi medicamentorum purgantium præcepiſſet, diuerſasque eorum claſſes conſtituiſſet, quarum vltimæ ſcammonium, elaterium, colocynthidem, & euphorbium adiudicat, ita de illis effatur: SOLENANDER, *vir grauiſſimus*, vocat hæc vltima Teuffels-Köpfe, *quibus ſine certa experientia, ſi modo vlla certa eſſe poteſt, fidere non oportet.* Intellexi igitur, optimum Hoffmannum noſtrum, memoriæ nimis hic confiſum, reſpexiſſe illud conſilium ſiue reſponſum SOLENANDRI, quod in toto opere vltimum eſt, vbi de confectione HAMECH diſputat, maximeque improbat, infeliciter datam illam fuiſſe viro animi leuiori quodam ex melancholia affectu laboranti, idque ex hac ratione, daß ſie auch deren Teufels-Köpfe, als *Coloquint*, *Scammonium*, *Elleborum* und dergleichen ein Theil zu ſich nehme. En, Lector, Solenandri verba, quibus elaterium noſtrum non magis quam Alexander magnus accuſatur. Stat itaque elaterio per Solenandrum ſuus honos, & inuitus ad accuſationem eius per dormitantem bonum Hoffmannum ſubornatus Cliviæ Aeſculapius innocentiæ patronus forte fieret, ſi mortalibus denuo intereſſe ipſi concederetur.

a) *inſtitut. medic. lib. V. cap. 57. p. 753.*

§. XXXI.

Illis, qui elaterium vocant ruſticum medicamentum, parum reſpondere opus eſt. Sit ruſticum, modo ſit probum. Res etiam publica pluribus ruſticis quam nobilibus indiget. Et vt nobiles cenſum & certas diuitias ſuas ex numero ruſticorum metiuntur; vtinam nobiliſſima medicina non amiſiſſet, aut temere manumiſiſſet tot vernaculos ruſticos, qui primæuam nobilitatem eius certis fidisque ſeruitiis melius tuebantur, quam nunc illam tuentur ex remotiſſimis terrarum angulis coempta mancipia, vieta vtplurimum, elumbia, &, quod peſſimum, non ſatis fida.

§. XXXII.

Vidimus eos, qui vel vere accuſarunt elaterium, vel accuſatores illius viſi habitique fuerunt. A nemine certe cædium vel male-

ficio-

ficiorum diſertis verbis reum agitur, multo minus conuincitur. Vagæ indeterminatæque inculpationes, clandeſtinæque muſſitationes, vt ſæpe honeſtiſſimos viros vexant & opprimunt, ita remediis optimis maculam ſubinde affricant. Quemadmodum vero probi iudices ſententiam non ex rumoribus, ſed ex liquido probatis ferre ſolent: ſic cordatus quisque medicus omnia prius prudenter examinat, quam triſtem ſententiam, ad proſcribendam aliquam medicinam concipiat aut enunciet. Nec fraudi debet eſſe elaterio, ſi probe euacuatis hydropicorum aquis, vel diſcuſſis œdematibus, hominem non illico ſanum præſtat. Poſſunt viſcerum læſiones ita graues adeſſe, quas elaterium expedire non valet. A fabro lignario nemo exſpectat cæmentarii opera: & quis prudens a pictore palæſtræ munia, aut a ſutore pharmacopœi artes exigeret? Pectoris hydrops, vt & particularia œdemata quædam, ſæpe originem ducunt, & fouentur, a polypoſis concretionibus, maiora vaſa obſidentibus, liberumque ſanguinis progreſſum intercipientibus, vnde pars tenuior ſeroſa abſcedit, lymphatica extendit, tandem perrumpit. In talibus ſi optime extra vaſa fluitans ſerum fuerit euacuatum, hominem tamen oportet in easdem calamitates recidere, ſcilicet permanente & continuo lædente polypo, quem qua arte tollere poſſis, medicina, niſi me omnia fallunt, ignorat. Illis tandem, qui draſticitatem elaterii nimis extimeſcunt, in aurem dicimus, poſſe illud, præſertim album, a) tam mite reddi, vt officium ſuum lento gradu, & vix ſenſibili modo, per vrinam, aluum & tranſpirationem peragat: quo quidem in incipientibus morbis nihil cogitari poteſt efficacius.

a) Hic locus memorabilis viſus fuit viro quondam illuſtri & archiatro excellentiſſimo b. D. D. IO. MAVR. HOFFMANNO, qui, in ſuis *proluſionibus de mater. medica*, coniecturam ſuam, de modo elaterium mitificandi, propoſuit: quem equidem non habui in animo. Sed is, quem tentaui & expertus ſum, eſt idem, quo nobilis Anglus, GEORGIVS STARCKEY, vſus eſt in elleboro albo ad optimam frugem redigendo. Scilicet imbui illud correctore Starckeyano, opio debita proportione maritatum, ſicque in pilulas efformatum exhibui. Legi deinde in ſcriptis b. BOERHAAVII, quod is trochiſcos alhandal pari modo correctos ſtomachicum ſummum expertus fuerit: quod idem me ab elaterio ſic præparato ſæpius ſpectaſſe teſtor.

§. XXXIII.

Supereſt, vt, antequam finiamus hanc de elaterio diſputationem,

nem, promiſſi noſtri memores, ſubiungamus quaſdam obſeruationes. Quum ante complures annos inter quoſdam philiatros de elaterio familiarem ſermonem habuiſſem, ſummorumque virorum diſſona iudicia protuliſſem, hoc ipſo ſermone permoueram iuuenem robuſtum, ſaniſſimum, qui ſæpius, CONRADI GESNERI exemplo, medicamentorum virtutes in ſuo corpore periclitatus fuerat, vt, nemine ſuadente aut conſcio, ſponte ſibi elaterii ſex grana ex pharmacopolio peteret, admixtoque gialappæ puluere in pilulas redigeret, quas mane deuorauit. Nondum hora elapſa fuerat, cum ventris tormina, non maiora quam a mercurio dulci ſæpius paſſus fuerat, ſentiret. Ipſe vero infuſi Theæ ſufficientem quantitatem ſuperbibit, vnde venter ter quaterue ſolutus, iuuenis autem adeo non læſus fuit, vt ante prandii tempus, quomodo tentamen ſibi ceſſiſſet, nuntiatum veniret. Hominem amice monebam, vt cautior eſſet, non eadem ſanis innoxia eſſe, quæ ægroti impune ſumunt. Hippocratem ſanas carnes habentibus elleborum dare vetuiſſe: a veterinariis napelli radicem equis, certo morbo laborantibus, ſalutariter dari: ſi morbus abſit, equum ea radice certo necari.

§. XXXIIII.

Non multo tempore interiecto accidit, vt medicinæ Lic. THEODORICO ISRAELI, quo familiariter vtebar, curandus obtingeret capillamentorum concinnator, cui venter & pedes inſigni tumore diſtendebantur, vt nemini dubium eſſet, hydrope hunc virum laborare. Deliberato animo a nobis ſtatuebatur elaterii vires in hoc homine experiri. Præſcribebantur elaterii decem grana, adiecta pulueris gialappæ haud certe minori quantitate, vt bolus inde parari poſſet. Inter ſpem & metum exſpectabatur alter dies, quo Lic. ISRAEL, non ſine incredibili gaudio, referebat, quam copioſe, & fere ſine vllo tormento, aquas æger exonerauerit. Metum fere incutiebat ſubita tumoris ſubſidentia: ſed quum roborantia ſubiungerentur, & vir ille monitis pareret, priſtinæ ſanitati perfecte reſtitutus eſt.

§. XXXV.

Tam felix curatio, vt fieri fere ſolet, viam ipſi ad plures ſtrauit, ex quibus tantum duas commemorabo. Vetula eidem Lic. ISRAELI offerebatur hydropica, quæ mortem non deprecabatur, vtpote vitæ ſatura, tantum optabat, vt, ſi quid ars valeret, fatalem diem ad vnum menſem differre liceret; eſſe ſibi filium vnicum, neſcio cu-

ius artis cauſa peregrinantem, cui reculas ſuas tradere vellet, ne manibus alienis commiſſae detrimentum caperent. Is ſtudium promittit, iamque audacior factus drachmam dimidiam, adiectis aliis in bolum redactam, pro duabus doſibus praeſcribit. Illa vero, neſcio quo felici errore, integrum ſumſit, non ſolum ſine vllo damno, ſed cum tam inſigni & admirabili fructu, vt, quae menſem vnum ſuperare optauerat, immunis a priſtino morbo annos ſuperuixerit. Eodem anno nobilis quidam prope Alſtadium, Palatinatus Saxoniae vrbem, aduocabat Dom. ISRAELEM, vt ipſum ab hydrope liberaret. Satis iam deſperatus videbatur aegrotus, quippe non ſolum abdomen, ſed cum pedibus & ſcroto, manus etiam atque facies tumebant. Adgreditur tamen morbum tam felici ſucceſſu, vt penitus ſe reſtitutum crederet vir nobilis. Quum vero non ſatis ſibi temperaret ab iisdem cauſis, quibus prius morbum incurrerat, recidiuam ſibi parauit, quae vitae finem attulit, quum nondum quinquageſimum annum viuendo attigiſſet.

§. XXXVI.

Quum Altorfium adueniſſem, conueniebat me vir ex vicini Comitatus Wolfſteinenſis vico Muhlhuſa, &, vt mos eſt, vrinam conſpiciendam offerebat. Dicenti lotium eſſe hydropici, adnuebat, ſeque credere profitebatur, filium ſuum hoc laborare morbo: ſe autem antea in conſilium adhibuiſſe neſcio quos uromantas & medicaſtros (quorum nimia luxuriat copia) & horum quoſdam adſeueraſſe, faſcinatum illum eſſe, alios alia perhibuiſſe, & remedia in caſſum dediſſe. Puer erat decem annorum, & per dimidium anni iam laborauerat hoc malo. Praeſcribebantur elaterii quinque grana, cum ſyrupi de ſpina ceruina vncia vnica. Viro ſeuere iniungebatur, vt effectum remedii vel ipſe nunciaret, vel nunciandum curaret. Quinto die laetus & alacris redibat, filium ſuum bene habere exponebat: ſine moleſtia ipſum ſemel nigra & quaſi picea vomuiſſe; ſemel multum aquae per aluum eieciſſe. Nunc ipſum ſibi videri redditum, quoniam, a quo tempore medicinam accepiſſet, appeteret recteque dormire poſſet. Tumoris in ventre reliquias adeſſe: quare vellet, ſi id rectum videretur, eandem medicinam, ſed fortiorem, offerri. Mos ipſi gerebatur & elaterii octo grana vnciae ſyrupi praedicti miſcebantur: ſimulque pro viſceribus confirmandis dabantur aliqua, poſt euacuationem exhibenda. Poſt menſem negotiorum ſuorum cauſa huc profectus pater, nunciauit filium ſuum integerrime valere.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Poſſemus hic pedem figere, niſi neceſſarium videretur ſerio admonere, ne quiſquam aſpernetur veterum illam cautionem, de elaterio ad mentem Dioſcoridis parato, i. e. albo, confidenter non exhibendo, antequam duos vel tres annos habeat. Nouimus illud Septembri menſe confectum hydropico in minima quantitate, non integrum granum æquante, remixtum, cum doſi pilularum leniſſime laxantium, Februario ſequentis anni fuiſſe propinatum, cui non ſine alui tormentis, purgationes vehementes, ἄνω καὶ κάτω concitauit, vt fæces non aliter, quam ſuccus ex maturo cucumere eliſus, longiſſime proſilirent. Accidit hoc in ruſtici pauperculi, ni fallor Offenhuſani, vetula vxore. Sed forte aliqua culpa reſedit in eo, quod non omnes cucumeres ſatis perfectam maturitatem, ob crebras pluuias, fuerant adepti, vnde non ſatis album, ſed πρασίζον, videbatur: de quo ſupra §. VI. meminimus.

§. XXXVIII.

His ante XX. annos ſcriptis ſubiungam, quæ ab illo deinceps tempore variis occaſionibus de elaterio obſeruare licuit. Et primo quidem admoneo, quod ea, quæ in fine §i X. legebantur de puluere albente vegetabili, cuius præclaros effectus ad œdematoſos tumores diſcutiendos & dyſpnoeam iuuandam, ex ore excellentiſſimi quondam præceptoris b. D. D. STAHLII audiueram, quemque elaterium album fuiſſe coniiciebam, propterea ſuſtulerim, quoniam ſatis nunc certum habeo, quod ille nihil aliud fuerit, quam puluis ſcillæ compoſitus, qui in *diſpenſatorii regii & electoralis Boruſſo-Brandenburgici nouiſſima editione* legitur & ad hunc archiatrum refertur. Gratiæ ipſi debentur, quod publici illum iuris fecit, qui antea in HELMONTII iunioris arcanis fuit; de quo forte alio tempore plura afferam.

§. XXXVIIII.

Quoties ſe mihi obtulerunt ægroti hydrope, œdematibus aut ſpirandi auguſtia laborantes, elaterio frequenter ſum vſus, ſed non alio fere, niſi illo, quod ex ſucco cucumerum in craſſamentum fuit redactum, ſeu extracto, quale in noſtris pharmacopoliis ſolum proſtat. Dedi adulto homini viginti grana: quæ ſi nondum ſatis operarentur, ad XXV. aut XXX. adſcendi. Nihil vmquam vidi, cur me pœnitere vel medicamenti, vel tantæ doſeos, debuerit. Diluendum iuſſi aqua cinnamomi

aut menthæ, & admiſcui ſyrupi de ſpina ceruina vnciæ I. Poſtquam medicina aſſumta fuit, iuſculum aſſumendum præcepi: quod non ſolum propter ſyrupum faciendum eſſe præclari practici monent; verum etiam in elaterio exhibendo veteres obſeruaſſe cognoui. Atque ſic exhibitum ſine tormentis copioſas, ſed paucas numero, facit deiectiones: proximumque bonæ operationis conſequens eſt appetitus notabilis inſtauratio: tantum abeſt vt appetitum proſternat & auferat, quod aliqui theoretici tam aperte, quam inuita experientia & veritate, ſcripſerunt.

§. XXXX.

Sæpius hæc inter animum ſubiit cogitare de colocynthide, quantum cum cucumere agreſti conueniat, quantumque diſcrepet. Mouit me maxime SCRIBONIVS LARGVS, qui *ſect.* 103. vbi de *hiera Pachii Antiochi*, quæ & *diacolocynthidos*, a larga, quam continet, eius quantitate dicitur, longo ſermone diſſeruit, ſeriam & repetitam confirmationem ſubiicit, quod non ſolum non noceat ſtomacho, verum etiam illum reficiat & confirmet ſupra omnem opinionem. Cuius indagationis cauſa colocynthidem etiam ad examen reuocare placuit, ſcripta ante hos octo annos ſingulari de ea diſſertatione, in qua nonnulla legi poſſunt, quæ ad conſpirationem hanc virium cognoſcendam inſeruient. Ceterum profiteor, me non illud egiſſe, vt omnia, quæ de cucumeris agreſtis tota planta, eiuſque variis vſibus, dici poterant, congererem: ſed certa occaſione inuitatum vni elaterio vindicando hanc commentatiunculam inſtituiſſe: cuius quidem laboris mei illum me fructum iam retuliſſe ſentio, quod aliquos, qui minus antea præclare de eo ſentiebant, æquiores reddiderim, vt ex hoſtibus eius candidi laudatores facti ſint. Planeque ſpero, fore, vt certus ac ſecurus vſus magis magiſque innoteſcat, PLINIOque conſentiamus, adſerenti, elaterium ad magnos mortalium vſus parari.

DIS-

DISSERTATIO IIII.

QVA

MORS IN OLLA

SEV

METALLICVM CONTAGIVM

IN CIBORVM POTVVM ET MEDICAMENTORVM PRAEPARATIONE AC ASSERVATIONE CAVENDVM INDICATVR.

HABITA

cIↃ IↃCC XXII.

PROOEMIVM.

S*ÆPE miratus ſum eloquentiſſimi Chriſtianorum veterum*, LACTANTII a) *illud argumentum, quo hominis ſingularem præ cæteris animalibus præſtantiam adſtruere ex eo nititur, quia ipſi ſoli ignis datus fuit.* Nos enim, *inquit*, quoniam cœleſte atque immortale animal ſumus, igne vtimur, qui nobis in argumentum mimortalitatis datus eſt - - cetera vera animalia, quoniam tota ſunt mortalia, tantummodo aqua vtuntur, quod eſt elementum corporale atque terrenum. *Non quidem licet nunc fundamentum huius ſententiæ profundius eruere, aut ſingula, quæ obiici oratori noſtro poſſint, adſerre; hoc tantum dico, facile probari poſſe, mortales illud ad bene viuendum ſibi conceſſum inſtrumentum, ignem, non vno modo corumpere, eoque, vt peius & breuius viuant, efficere. Nam iam coquos, non zythopœos, non aquæ illos caupones nuper in Germania demum receptos, non liquorum ſpirituoſorum ſublimatores, aut dulciarios recenſebo, nec adeo pharmacopœos, qui ſinguli ignis & indigent & vtuntur ſubſidio ad præparanda ſuæ artis opera, ſine quibus homines plerique nec commode nec iucunde ſe viuere poſſe hodie exiſtimant; quum tamen per multorum ſæculorum longam ſeriem humanum*

genus his omnibus caruiſſe certum ſit. Largiar tantiſper & pro certo po- nam illa, quæ cuique eorum conficienda ſunt, ſumma ratione ad optimas ſa- nitatis regulas omnia eſſe excogitata & præſcripta: neque quæram, quan- tum abuſu recte confectorum mortales ſibi noceant, ſi vel intempeſtiue, vel vl- tra modum, corpori ſuo illa ingerant: & illud tantum nunc quæram, quan- tum ſæpe erroris in vaſorum ad præparationem, ſiue præparatorum aſſerua- tionem, delectu recte conſtituendo, aut eorundem tractatione, committatur, vnde aliquid non ſentientibus aut ſuſpicantibus nobis ſubintret, quod grauium in corpore noxarum cauſſa exiſtere poſſit. Id vero quoties accidere ſoleat, iu- dicandum omnibus relinquo, quibus legere & penſitare ea, quæ in medium nunc proferemus, placuit. Iidem decernent, quanto hominibus infeliciora ſint reliqua animantia, ob denegatum ignis vſum: & annon ex præcipuis cauſis cur longe paucioribus morbis, quam humanum genus, vexentur, ille etiam ſit, quod, procul igne reiecto, illis etiam noxiis qualitatibus, quæ igne præparata pleraque ab vaſorum metallicorum effluuiis accipiunt, ſecure carent. Non autem ſolum hæc ad tractationem noſtram pertinere putauimus, quæ ad ignem vel ab igne ſimul & vaſe, quo tractantur, vitium capiunt, verum in vniuerſum omnia illa, quæ metallicis vaſis tractata vel aſſeruata noxium quid inde contrahunt, conſiderationi ſubiiciendum cenſuimus. Quod vero MOR- TEM IN OLLA *inſcripſimus hanc tractationem; hoc forte neminem æquum lectorem lædet, qui ſibi in mentem ex ſacra hiſtoria reuocabit, quod primi tam concinnæ orationis auctores rem ea deſignauerint, a qua mortis ſibi pe- riculum metuebant: quo minus nobis vitio verti debebit, ſi prorſus talem rem, quæ inſperatum mortem intuliſſe probabitur, ſcilicet metallicum contagium corporis noſtri œconomiæ inimicum, deſtruendæque ſatis aptum, hoc titulo donauimus.* b) *Non prorſus deſtituimur exemplis clarorum virorum, qui hanc curam animo agitarunt: Dioſcorides Anazarbeus de vaſis, quibus me- dicamenta aſſeruari debeant, præcipit: alii, quos data occaſione laudabi- mus, prouide admonuerunt, ſi quam humano generi noxam, a cibo vel medi- camento tali pacto corrupto illatam, obſeruarunt. Sed forte nemo exſtitit inter noſtrates, certe neminem cognouimus, qui peculiari cura rem totam excuſſe- ait. Malabares medicos huius argumenti tractationem inſtitutionibus ſuis rdiunxiſſe, cognouimus ex pulcherrima delineatione medicinæ huius gentis* c), *quam vir, dum viueret, de eccleſia & republ. meritiſſimus,* M. IO. ERN. GRVNDLER, *ex Tranquebaria Halam transmiſit: quæ vtinam in lucem aliquando prodeat, plus fortaſſe delectatura, ſaltem non minus adiutura me- dicos noſtri orbis, quam illa poſſint, quæ de medicina Sinenſium ex* AN- DREAE CLEYERI *communicatione publice legimus. Supereſt, vt com-*

menta-

mentationem hanc beneuoli & docti lectoris æquo iudicio relinquamus: DEVM *autem precemur, velit conatibus noſtris fauere, vt aliquem lectori fructum adferre valeant.*

a) *diuinar. inſtitution. lib.* II. *c.* 9.

b) Exemplo nobis præiuit Exc. D. D. IO. DAV. MAVCHARTVS, qui *Ephemeridum Acad. N. C. centuriæ primæ p.* 54. exempla memorabilia *de cupreorum vaſorum noxa* ſuggerit, quibus eundem titulum præfixit.

c) Titulus eſt: medicus Malabaricus. Summam libelli conſpiciendam dedimus *in biblioth. nouiſſima obſeru. & recenſion. ſect. VIII.* 3. Eadem nunc legitur inſerta *Appendici* voluminis I. Actorum phyſico-medicorum Academiæ N. C. *pag.* 106. *ſeq.*

---

§. I.

Dicturis igitur de metallico contagio cauendo non multum, credo, laborandum erit vt omnes, quid velimus, clare intelligant. Nimirum non ſolum perfectiſſima metalla aurum & argentum, verum etiam ſequiora, vt æs, ferrum, ſtannum & plumbum: tum vero illa etiam mineralia, quæ aliquorum ex his certis temperationibus adiiciuntur, vt bismuthum, antimonium, arſenicum, zincum: denique quæ vitris & incruſtationibus ſubinde adhibentur, quocunque ſchemate veniant, intellecta volumus. Contagii autem vocabulum ita adhibemus; vt ſignificet quamcunque participationem naturæ metallicæ, quæ in aliam ſubſtantiam cum metallis verſatam tranſit, ſiue hoc cum metallici corporis deſtructione notabili, per detritum, eroſionem aut quamcunque ſolutionem; ſiue magis inſenſibili modo, per qualemcunque effluuiorum communicationem, fiat.

§. II.

Fieri autem eiusmodi contagia & in humanum corpus, quando illud ſubeunt, operationes ſatis ſæpe moleſtas & damnoſas exſerere, deinceps ordine exponendum, ſine vllis ambagibus, adgredimur. Aurum, quod metallorum princeps & compactiſſimum eſt, hoc loco non alium in finem adducimus, quam vt innocentiam eius prædicemus: quippe tam firmum eſt, vt nulla ſiue œconomica ſiue medicina-

dicinalis elaboratio aut præparatio ſuccurrat, nullumque eſculentorum potulentorumue genus ſit, quod non diutius aureo vaſe, ſine vllo corruptionis metu, aſſeruari poſſit. Præterea tam ſecuri ſunt medici de auri, modo corroſiuis liquoribus non ſoluti, indole leni & mitiſſima, vt puluerem eius, longa tritura elaboratum, ſatis ſæpe magna quantitate ægrotis tenerrimis absque metu propinent, foliaque bolis pilulisque obuoluendis, quin pulueribus, confectionibus, electuariis, ipſisque aquis ornandis, adhibeant. Haud igitur male ſibi conſulunt magnates & diuites, qui aurea, vel argentea auro probe tecta, ſuppellectile menſas ſuas onerant: vel eandem, ex NIC. MONARDIS conſilio, fabricari curant ex auri tribus partibus, vna argenti puriſſimi: quæ temperatura ad electrum veterum prope accedit.

§. III.

Succedit argentum, quod non multum ſecuritate inferius auro foret, niſi ex eo parata ſuppellex pleraque multum cupri admixtum haberet, quod facile ab acidis, quin ab ipſis oleis pinguedineque animalium, ſale etiam, præſertim humiditate, mora & calore accedente, ſoluitur. Quoniam vero de cupro ſtatim loquemur, plura hic non addimus. Quo purius argentum, quoque largius ex eo parata vaſa auro tecta fuerint, eo ſecurius merito cenſetur.

§. IIII.

Quum ſuperiora duo metalla, ob pretii magnitudinem, familiari & quotidiano vſui tam crebro non adhibeantur: ex cupro confectorum longe frequentior vſus eſt. Nam non ſolum lebetes varii generis ad cereuiſiam coquendam, ad carnes aliaque elixanda, veſicæque ad deſtillandum ex cupro fiunt, verum etiam paſſim videas aquæ in culinas deferendæ aſſeruandæque deſtinari, immo lances & orbes inde confici, quibus omnis generis cibi menſis apponantur. Vtuntur autem in re familiari ex cupro confectis vel vulgari rubente; vel flauo, quod orichalcum appellant, cuius aliqua elegantior ſpecies ſub nomine *Prinzmetall* ab aliquot annis innotuit; vel albo, argenti colorem mentiente; vel denique ſtanni tegmine obducto & munito. Quum vero cuprum ſtanno tectum, quamdiu illo habitu veſtitum eſt, illa, quæ continet, non immediate tangat, a præſenti examine tantiſper remouebimus: cuprum dealbatum, vtpote non vno modo confectum, ſeorſim conſiderabimus: ſi prius de cupro rubro, tanquam

ære

ære ſimpliciſſimo, quæ in præſenti re diiudicanda neceſſaria ſunt, monuerimus.

§. V.

Notiſſimum autem cuiuis mediocriter curioſo erit, quam facile hoc metallum ærugine corrumpatur: quippe purisſimum ſi fuerit, & vel vnica aquæ gutta inciderit, quæ non promte defluit & ſiccatur, paucis poſtea horis obſeſſum viridi cruſta obſeruabis. Quin pinguedines omnis generis, vt oleum, butyrum, ex cupro viriditatem promte extrahere, hoc eſt ærugine imbui, quotidiana experientia diſcimus. Iſta viriditas, ſiue in ſuperficie effloreſcens ſiue pinguia ſubiens, reuera nihil differt ab illo viridi æris, quod multis vſibus, ſed maxime externis & mechanicis, adhibetur. Per os autem adſumtum varia incommoda inducit, quæ perfecti veneni mineralis omnes notas ſecum ferunt. Optime SENNERTVS a) de illis exponit, cuius verba merito apponimus: *cuprum venenoſa qualitate non caret, qua & eſculenta & potulenta, ſi in vaſis cupreis coquantur, aut diutius ſeruentur, imbuuntur; quæ poſtea intra corpus adſumta ventriculum turbant, nauſeam, vomitiones, ariditatem linguæ, eroſiones ventriculi, dolorem & ventris fluxus excitant.* Immo hæc cathartica & nauſeam inducens vis cupri tanta eſt, vt illi, qui fabrorum ærariorum officinis tanquam tirones traduntur, antequam ſubtiles emanationes tolerare adſueſcant, obſeruante D. D. LEDELIO b) ſæpius vomitent, aut alui fluxibus vexentur. Quin vidimus hominem tabaci fumo ſugendo ſatis aſſuefactum feroci vomendi necesſitate correptum, quum pro fiſtula accendenda chartam viridem adhibuiſſet, idemque teſtatus eſt ſe cupri nauſeoſum ſaporem biduo poſt in ore retinuiſſe. Idem metuendum fuerit a funiculis cereis viridibus, quippe ærugini etiam colorem ſuum debentibus.

a) *Practic. L. VI. 6. c.* 10.
b) *Eph. nat. cur. dec. II. ann.* 9. *obſ. II.*

§. VI.

Quum tam promte hoc metallum ærugine corrumpatur, facile erit ad diiudicandum, quam male ſibi ſuæque familiæ conſulant, qui aquam, quotidianis vſibus culinæ deſtinatam, aſſeruant in cupreis vaſis, ſi non probe illa ſtanno obducta & munita fuerint. Experiatur, cuicunque libet, aquam eiusmodi, quæ per noctem in cupreo vaſe aſſeruata fuit, annon ipſi guſtui ærofum quid & moleſtum exhibeat,

cuius ſenſum ex ore & faucibus tam facile tollere non licet. Si vero guſtu minus pollet, aut vlterius conuinci cupit, inſtillet iſtiusmodi aquæ paucas ſpiritus ſalis ammoniaci probe confecti guttas & ſapphirino, qui mox exſurget, colore de cupri particularum præſentia certior reddetur: qui color eo ſaturatior erit, quo maior cupri particularum aquæ innatat copia, dilutior, quo illa minori contagio imbuta eſt.

§. VII.

At vero ſi tam facile aqua cupro inficitur, vix metuendum forte hoc metallum erit, quum quotidie videamus, quantis, ex cupro ſane confectis, lebetibus quanta copia aquæ pro cereuiſia paranda decoquatur: & quantum in culinis aquæ in minoribus vaſis ferueat, cum tamen cereuiſiam omnes impune bibamus & iuſculis, aliisque in culina paratis, ſalua & ſarta valetudine, veſcamur. Ego vero cum non omnia in ahenis decocta æque impune aſſumi inferius clare demoſtraturus ſim: obiectioni diluendæ adferam notatu dignam & ab experientia confirmatam obſeruationem, quæ ſimul ad diſtincte reſpondendum viam parabit. Nimirum aqua in æneo vaſe multis horis bullire poteſt, neque tamen inficitur: ſimul vero ac bullire deſiit, ſi calida in vaſe retineatur, incipit cupri particulis imbui; easque copioſas imbibit, ſi mora longior ipſi conceſſa fuerit. Dulciarii præ reliquis experiendo hoc didicerunt, qui ea, quæ ſaccharo condire volunt, ſatis ſæpe longo ſpatio in vaſis æneis decoquunt, nec ſaporem tamen aut bonitatem ſic corrumpi animaduertunt: quod nimis cito accidere nouerunt, ſi ab igne remota non protinus vaſi cupreo eximant.

§. VIII.

Rationem huius phænomeni optime, vt exiſtimo, iam declarauit *Lemmery*. a) Iubet nos obſeruare, quid liquori in aheno feruere incipienti accidat. Scilicet primo occupare fundum & latera aheni, quocunque loco ignis maxime vrget, exiguas bullulas, quæ continuo augentur, tandemque in ſuperficiem erumpunt, ſuccedentibus ſemper maioribus, donec liquor penitus æſtuat & rapidiſſimo motu agitatur. Ex quo apparet, eo minus liquorem quiete applicari vaſis lateribus, vt agere in illud & ſuperficiem aggredi valeat, quo magis calor ab igne impreſſus motum eius adauget ſicque ab ipſo vaſe continuo repellit: quam primum autem ceſſat illa ebullitio, & calidus liquor ad ſenſum conquieſcit, tum quieta cum metallo eius conuerſa-

uerſatio, tum vero etiam inteſtinus particularum motus diu adhuc continuatus, metalli effluuia excipere, quin in ſuperficie arrodere valet: præcipue autem in illo circuitu, vbi liquoris extremum vacui vaſis nuda latera attingit, ſicque ambientis ſimul aeris acceſſum patitur.

a) *Cours de chymie, p.* 157.

§. VIIII.

Hoc conſiderato facile patebit quid ſperandum ſit de probitate & ſalubritate illarum aquarum, quæ multis horis ad leuiorem ignem in cupreis vaſis ſeruantur, vt quouis tempore haurire inde calidam liceat. Duplici modo corrumpuntur tales, quia, quod ſubtiliſſimum & optimum in illis eſt, ſub vaporum ſpecie in auras propellitur, grauiſſimumque retinetur: quod in optimo quouis vaſe fieri neceſſe eſt: deinde acceſſione aliqua praua & heterogenea inficiuntur. Miramur ſæpe, qui fiat, vt infuſum Theæ vel Coffe, quod alias ſaluberrimum experti ſumus, corpori aliquando moleſtias, anguſtias, nauſeam creare videatur: ſed mirari deſinemus, ſi percunctati fuerimus qualem ſabinde aquam ad infuſum parandum adhibeant, quibus hæc cura demandata eſt. Vidi aliquando, quum iter facerem hiberna & inclementi tempeſtate, quid matronæ tenerioris habitus, in eodem hoſpitio pernoctanti, acciderit. Illa, quam primum a vehiculo deſcenderat, quo citius frigus vinceret, infuſum Coffe parare iubebat. Famula, cui id negotium datum erat, ab domeſticis calidam ſibi adferri poſtulabat: promte afferebatur, quod meis oculis vidi, hauſta ex ænea veſica, quales plerisque locis fornacibus impactas & aqua repletas videmus, quas his in terris *Hellhafen* dicere ſolent. Audito & explorato quod ſatis ferueret aqua, illam granis Coffe molitis affundebat, infuſumque pro more parabat, quod matrona auide ſorbebat. Vix hora elapſa erat, quum nauſea incredibilem in modum torqueri ſe, & ad vomitum compelli femina ſentiret, quæ moleſtia illam per totam fere noctem vexauit.

§. X.

Si ſimplici aquæ, diutius cum hoc metallo verſatæ, vis moleſta communicari poteſt; facile erit ad iudicandum, quid ſalibus acidis imbuta, ad particulas cupri ſoluendas & in poros ſuos recipiendas, valeat. Nulli itaque ſuaſerim vinum, multo minus acetum aut alios ſuccos

acidos, vaſe cupreo vel aſſeruare diutius, vel in eo decoquere. Succurrit hoc loco, quod alicubi vidimus, haud certe laudabile, artificium cucumeres immaturos aceto condiendi, vt pulcerrimo viridi colore oculis blandirentur. Acetum ſcilicet decoquebatur in aheno cupreo, iamque refrigeſcenti immergebantur cucumeres, ſicque per noctem in ipſo vaſe relinquebantur: altero die exempti in aliud vas terreum vel ligneum transferebantur, nouo tamen aceto ſuperfuſo. Abominanda certe res eſt, quod ea, quæ inter cibaria homini apponuntur, tanto ſtudio corrumpimus. Neque minus deteſtanda eſt illa Italorum quorundam male ſana induſtria, qui oleum omphacinum paraturi, quod pulcre viidreſcat, aut plane ex maturis oliuis expreſſum pro omphacino extruſuri, illud cupreo vaſi ſatis diu immittunt: quam nequitiam merito caſtigauit doctiſſimus LVD. SEPTALIVS. a)

a) *Animaduerſion. lib. IX. §. 218.*

§. XI.

Obiter monemus, quod medicus omnino habeat, cur obſeruet pharmacopœum, qua is ratione ſyrupum de ſpina ceruina, quem vulgo vocant domeſticum, præparet, vtrum ex baccis recentibus, an vero ex ſucco inſpiſſato, qui pro vſu mechanico conficitur, & nomine *Safftgrün* notiſſimus eſt. Iſthunc vero ſuccum in copia præparantes ſolent per plures dies in vaſis cupreis aſſeruare, antequam penitus ad ſpiſſitudinem neceſſariam redigant, eo certe fine, vt cupri particulis largiter imbutus pulchriorem colorem nanciſcatur. Nauſeoſum ſaporem & ventriculum ſubuertendi vires habere remedium ex tali ſucco paratum neceſſe eſt, quod in alio legitime parato minime accidit.

§. XII.

Non intempeſtiuum hic erit ad DIOSCORIDEM tantiſper diuertere, & intueri finem præfationis libro primo præmiſſæ. Ita autem legitur: Τὰ δὲ χαλκᾶ ἀγγεῖα ἁρμόσει πρὸς τὰ ὀφθαλμικὰ φάρμακα καὶ ὑγρὰ, καὶ ὅσα δι᾽ ὄξους ἢ πίσσης ὑγρᾶς, ἢ κεδρίας, κατασκευάζεται, στέατα δὲ καὶ μυελοὺς ἐν κασσιτερίνοις ἀγγείοις ἀποτίθεσθαι δεῖ. quæ *Saracenus* ſic interpretatur: *apta vero erunt ænea vaſcula medicamentis oculariis ac liquidis, iisque omnibus, quæ ex aceto, pice liquida aut cedria componuntur. Adipes autem ac medullas ſtanneis vaſis recondi oportet.* Ab hac, quod ad ſenſum pertinet, non recedit antiquior illa *Ruellii* verſio. Sed videtur diſtinctionis nota ab editoribus non

non iuſto & conuenienti loco poſita. Mihi quidem perſuadeo, Dioſcoridem aenea vaſcula ſolis medicamentis ocularis liquidis aſſeruandis deſtinare. Voculam coniunctionis καὶ ante ὑγρὰ veteres codices non agnoſcunt. Quae deinceps ſequuntur omnia coniungenda & de ſtanneis vaſis intelligenda puto, vt totus locus ſic ſe habeat: *apta vero erunt aenea vaſcula medicamentis ocularis liquidis. Quaecunque autem ex aceto, pice liquida aut cedria componuntur, vt & adipes ac medullas, ſtanneis vaſis recondi oportet.* Cur ita intelligendum Dioſcoridem exiſtimem, in cauſa praecipue eſt, quod plerisque medicamentis ocularis ex aeneorum proſapia aliquid veteres miſcuerunt: nosque quotidie vitriolum veneris adhibemus, vbi oculorum externa vitia obueniunt curanda. Vnde parum incommodi veteres metuebant, ſi quid etiam a vaſe medicina attraheret aeroſum. Sed in reliquis, quae enarrantur, ſunt omnino multa, quae valde corrumperentur in eiusmodi pyxide. Quis credet, oxymel ſuum ſimplex & ſcillinum veteres vaſis cupreis aſſeruare fuiſſe auſos, aut animalium pinguedinem iisdem indidiſſe, quum GALENVS a) adeo vetet trochiſcos de viperis, iam perfecte exſiccatos, in vaſe argenteo aſſeruare; ſcilicet quia hoc metallum cupro admixto ſolet adulterari, vnde τάχιστα ἰὸν ἐπιτρεφόμενον ἔχει, *celerrime aeruginem depaſcentem contrahit.*

a) *de antidotis* I. *p.* 431. *ed. Baſil. Graec.*

§. XIII.

Sed in viam e diuerticulo redeundum porroque elaborandum eſt, vt noxae, quae a venereis vaſis oriuntur, innoteſcant. Idque faciam rerum teſtimoniis clariſſimis adductis, quibus adeo homicidiorum, ne dicam multorum maleficiorum rea peraguntur. Quam male multatae fuerint tres moniales Ferrarienſes, quae paſtam ex farina triticea, butyro & caſeo, in cupreo vaſe confectam, inque eo per horas plures relictam, deindeque recoctam comederant, ab *Exc.* D. D. LANZONO a) refertur. Scilicet omnes violentos ſpaſticos motus ventriculi & inteſtinorum, impetuoſos vomitus & ventris furioſas deiectiones, expertae ſunt, quibus febris acceſſit, cuius vehementia in duabus vix remediis coercita, vni vitam eripuit. Ex eodem coenobio famula monialium aliquando acceperat oryzam in vaſe aeneo coctam, ipſamque ſuis filiis edendam porrexerat, qui diro vomitu, doloribus ac alui deiectionibus miſere affecti ſunt, ita vt mater ipſos emorituros

 puta-

putaret. In iisdem ephemeridibus teſtatur Venetus medicus b) *Exc.* D. D. VALLISNERIUM ante complures annos vocatum fuiſſe in domum SS. Trinitatis vrbis Regii, in quam virgines vrbanæ patre & matre orbatæ recipiuntur, vt mederetur omnibus his puellis, ſtatim poſt prandium horrendo vomitu, torminoſa ventris excretione, aliisque diris ſymptomatibus oppreſſis, vt veneficii ſuſpicio non iniuſta eſſet. Re explorata deprehenſum fuit, negligentem coquam præparaſſe paſtam, in cibum appoſitam, in vaſe cupreo, ærugine non deterſa, quippe quæ marginem adhuc obſidere inueniebatur. Aliquot inſuper exempla, cum ſingulorum a cupreo contagio male multatorum, tum integræ familiæ peſſime affectæ, vniusque puellæ quatuor annorum, quæ vitam hac ratione amiſit, cum erudito orbe communicauit *Excell.* D. D. MAVCHARTVS. c) Poteramus his, quæ nobis innotuerunt, duo inſignia addere, niſi laudata iam abunde ad probandam cupreorum vaſorum malignitatem ſuffectura crederemus.

a) *in Ephemeridibus Acad. Cæſar. Nat. Cur. Dec. III. Ann. 7. obſ.* 102.
b) *Centur. I. ſcholio ad obſeru. XIII. p. 62.*
c) *Eph. N. C. Cent. I. obſ. XIII.*

§. XIIII.

Hactenus de cupro rubro dictis merito ſubiungimus cuprum flauedine auri æmula tinctum, quod lapidis calaminaris additione paratur, indeque non ſolum ſoliditatem maiorem, verum etiam ponderis notabile augmentum acquirit. Orichalcum vetuſto nomine Græco vocatur, quod, Feſto præeunte, quidam malunt aurichalcum dicere. Putamus autem, id inter rubrum & flauum cuprum intereſſe, quod flauum, ratione maioris duritiei, quam adeptum eſt, non adeo facile, præſertim aquæ commercio, de ſe nociturum contagium emittat: quod etiam NICOL. LEMERY a) iudicio confirmatur. Trituræ tamen aridorum terreorum, præſertim longiori, & quando non immediate ante vſum probe deterſum fuerit, non omnino innoxie adhiberi, vel inde cognoſcimus, quod ſola manu tractatum illam colore & odore notabili ſatis cito inficit, vnde non ſemel vidimus ſenſibiliores moleſtiam aliquam nauſeoſam expertos, ſi inter cibandum cultris manubrio orichalceo inſtructis vſi fuerunt.

a) *Cours de Chymie p.* 159.

§. XV.

§. XV.

Addimus his merito de medicamentorum optimorum facili corruptione, quando incaute illa præparantur vaſis & inſtrumentis cupreis vel orichalceis, breuem admonitionem. Quæ ex veſicis cupreis deſtillantur, præſertim vbi canales ſerpentini per vas refrigeratorium tranſeunt, qui non adeo facile repurgari poſſunt, haud raro cupri ſaporem & vires referunt. Teſtatur de eo OTTO TACHENIUS a) ſæpius ſe obſeruaſſe aquam roſarum ex cupreis veſicis, etſi ſtanno, dum nouæ eſſent, intus obductis, deſtillatam, tam multis cupri particulis fœtam, vt pueris pro vermibus exturbandis data aluum, ſæpe etiam vomitum, concitauerit: quod a cupri particulis fieri vrinoſo alcalino ſpiritu inſtillato didicit. Maxime autem cautos nos eſſe decet in oleorum fragrantium æthereorum deſtillatione. Niſi enim alembicum, roſtrumque eius, cum canalibus refrigeratoriis, poſt deſtillationem mox accurate repurges, adhæreſcentes olei guttulæ æruginem eliciunt, quæ nouo, ex eodem vaſe deſtillato, oleo colorem & ſaporem, quin odorem etiam viresque moleſtas, largiuntur. Idem fiet, ſi ſpirituoſus liquor ex tali veſica prolectus reliquias illas oleoſas iam corruptas imbiberit. Hæc incommoda certiſſime occupantur & præcauentur, ſi alembicus cum roſtro & canalibus ſpiritu frumenti probe eluantur: aut, ſi ante nouam deſtillationem ſolam aquam veſicæ infundamus, & igne ſufficiente partem eius deſtillando euocemus, tandem inſigniter aucto calore eo vsque vrgeamus, ut aqua alembicum tranſcendens impetu per canales extrudatur.

a) *Hippocrat. chym. p. m.* 152.

§. XVI.

Facillimus modus contaminandi optimas medicinas eſt tritura, quando duriora corpora, vt ſunt lapides, corallia, conchæ, margaritæ in mortariis ex orichalco confectis comminuuntur. Fieri enim nequit, quin dura hæc corpora, fortiter & ſæpe metallo impacta, aliquid inde abradant, quod deinceps, quando in marmorea tabula pulueres affuſo humore aqueo læuigantur, intimius ipſis permiſcetur, &, dum mora eſt antequam exſiccentur, ab humiditate in æruginem conuertitur. Emulſionem cum margaritis, roborandi gratia languenti præſcriptam, intempeſtiuos vomitus concitaſſe in CRATONIS conſiliis legimus, qui culpam inſperati effectus in pharmacopœum, marga-

garitas in æneo vaſe tundentem, reiecit, vbi non tam vltimam iam ante læuigatarum & ſiccatarum comminutionem intelligendam credimus: quippe quæ ad magnopere lædendum vix ſufficeret, niſi forte ærugine obſeſſum mortarium fuerit: ſed omnino priorem rudioremque contuſionem accuſandam putamus. a) Illud ſaltem omni modo commendandum ex eo ſequitur, vt, ſi omnino ænea mortaria ſumenda ſint, illa quam mundiſſime deterſa adhibeantur. Qui vitriariam exercent artem experiendo didicerunt, quam facile metallicæ particulæ ſilicibus contundendis adhæreant, ideoque lapidea mortaria adhibere iubent, vt ex NERII, KVNCKELIIque ſcriptis paſſim edocemur. Sed maior eſt illorum error, qui mercurialia in orichalceis vaſis in ſubtiliſſimum puluerem comminuunt, nec cogitant, quam facille illa corroſiuam indolem inde recuperent. *Exc.* D. D. BOERHAVE b) vetat omnino antimonium & nitrum, pro diaphoretico parando, in mortario cupreo comminuere & miſcere: quod vix illum facturum fuiſſe credo, niſi compertum haberet, noxium aliquando medicamentum huius erroris culpa euaſiſſe.

a) Parum nunc abſum, quin pharmacopœum omnino ab omni culpa liberem. Tam exiguæ ſunt margaritæ, quas officinæ medicinis adhibent, vt tritura in mortario vix indigeant, ſed illico imponi porphyritæ poſſint & læuigando facile comminui: quod etiam ita fieri in pharmacopolio vidi. Suſpicor autem, inſperatum effectum vomitorium veniſſe ab aqua roſarum emulſioni parandæ largius adhibita. Hæc quum per ſe, optima licet & puriſſima ſit, ſenſibilioribus, ac imbecillis, largius præſertim pota, vomitum faciat aluumque turbet: id tanto magis euenire debuit, ſi, vt §. XV. dictum eſt, inter deſtillandum aliquid venerei attraxerit. Memini alio tempore, quum ſimilis accidiſſet caſus, culpam coniectam fuiſſe in ipſas margaritas, tamquam aliquid noxii contraxiſſent vel a morboſis matribus, vel a putredine, quam oſtreæ margaritiferæ, ex fundo maris extractæ, ſubierint. Enimuero vt non nego oſtrearum & mytulorum generi ſuos eſſe poſſe & ſolere morbos: quæſtio tamen merito ſupereſt, an illi in concreta hæc, quæ margaritas dicimus, tranſeant. Quod autem ad alterum pertinet, id eiuſmodi eſt, quod in omnes margaritas cadit: omnes enim ex ſterquilinio leguntur: illæ ſaltem minutiſſimæ, quas officinæ adhibent, non poſſunt colligi, niſi putredo omnem carnem colliquauerit.

b) *Inſtitut. chim. p. II. pag.* 347.

§. XVII.

§. XVII.

De cupreis vaſis, ſtanni tegmine probe obductis, quando noua eſt hæc incruſtatio, totumque metallum vndique ambit atque obuelat, ſatis nos eſſe ſecuros iubet quotidiana experientia. Eadem vero magiſtra diſcimus, facile fieri, vt ſtannea cruſta, dum vas crebro detergitur, aliquibus locis, præſertim exſtantioribus, abſumatur, vt contento liquori, ſaltem in illis ſpaciis, libera ſit cum cupro conuerſatio, quæ contagio illum corrumpere poſſit. Etiam hoc crebrius accidit, vt in vaſis non omnino repletis, ſi ad ignem fortiorem diutius relinquantur, in partibus vacuis liquefactum ſtannum defluat: cuius rationem diligenter habendam ſuademus in illis lebetibus, quibus aquam pro infuſo Theæ vel Coffe calefacimus. Non autem exiguum eſſe damnum, quod præter opinionem aut metum inde emergit, iam obſeruauit fama & meritis celeberrimus vir D. D. GODOFR. THOMASIVS, Illuſtris Reip. Norimbergenſis medicus excellentisſimus, litterarum meliorum magnum illud præſidium dulceque decus, qui epilepſias puerorum in Norimbergenſi vrbe crebriores maxime hinc deriuandas iudicat, quod lac vrbi vaſis cupreis infertur, ſtanno quidem incruſtatis, ſed in quibus, ob vetuſtatem, ſæpiſſime admodum deterſum ſtannum videas. Vnde fit, vt venereo miaſmate infectum lac, pro teneriorum infantum cibo adhibitum, ventriculum & inteſtina eorum vellicando, ſeque reliquæ ſaburræ, quæ in illis admodum corrupta ſæpe continetur, ſociando tragœdias has excitet. Monendæ etiam matresfamilias videntur, quarum in his terris aliquas vidi, quæ lac e mulctrali infundunt magnis conchis ex cupro factis, & ſtanno quidem olim obductis, ſed quod longo vſu adeo deteritur, vt veneris rubedo pleriſque locis transluceat.

§. XVIII.

Si quis hoc nomine ſuſpecta examinare cupit, vt vel ipſe de eo certior reddatur, vel alios conuincat, affundat pulueribus ſupra iam commendatum ſpiritum ſalis ammoniaci probe confectum, qui vel minimum cupri veſtigium, inde extracta tinctura ſapphirina, deteget. Idem in oleorum examine fiet, ſi aliquot eius guttis, ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolutis, dicti ſpiritus aliquam copiam affuderimus.

§. XVIIII.

Sed progrediendum eſt ad venerem albo colore veſtitam, al-

teramque, quæ aurum mentitur: & ad conſiderationem ſuppellectilis ex vtroque genere præparatæ. Eſt quædam cupri & ſtanni mixtura, quæ campanis maxime inſeruit fundendis: vtrum aliis etiam, quæ noſtræ conſiderationis ſunt, hodie adhibeatur, equidem ignoro: niſi huc referre velimus cochlearia ex mixtura haud diſſimili, niſi quod ſtanni pondus magis, quam in priori, auctum eſt, parata. Vocant hanc temperaturam *weiſs Prinzmetall*, vel abſolute *Metall*: eſtque adeo non liberum ab æruginis facili corruptela, vt manibus diutius tractatum odorem cupri illis affricet, humectatum autem & aeri relictum efflorescentiis viridibus veſtiatur. Omnino igitur ad cenſum & iudicium reliquorum venereorum pertinet: nimirum parata ex eo ſuppellex, probeque purgata, breui vſui, vt offam illis excipiamus orique ingeramus, ſine formidine inſeruire poteſt: diutius autem illis aſſeruare aliquid, præſertim acida, non omnino vacat periculo.

§. XX.

Aliud autem eſt genus cupri albi, quod ductilitatem omnino retinet, &, quoniam argento quam ſimillimum videtur, ſine dubio multis vaſis inde parandis adhiberetur, niſi bonæ leges aurifabros a cudenda tali ſuppellectile paſſim prohiberent. Difficile eſt, ob artificii diuerſitatem, par iudicium de ſingulis ferre. Plerique parant adiectione arſenici albi, quæ compoſitio ſe facile prodit, ſi quis cuprum eiusmodi candenti ferro attigerit. Sed ſunt ingenio maiori excogitatæ præparationes, quas arſenicum non ingreditur. Illam venerem, quæ ab arſenico fucum deſumſit, merito nocentiſſimam & veneficam declaramus, atque ab omni vſu in præparandis adſeruandisque cibis & potibus remouere ſuademus. Mirum eſt, quam facile arſenicum in poros liquidorum, ſine ſenſibili ponderis diminutione, dimittat ſufficientes homini enecando particulas. Notum eſt, quanta per Italiam mala perpetrauerit infamis *aqua di Tuffana*, quæ nihil noxium, præter arſenici decoctum, certo modo paratum, habuit: cuius deſcriptionem, quantumuis noſtrum argumentum illuſtraturam, heic omitto, ne, venenum vitare monens, parandum docere videar. Aliæ præparationes, quæ non habent adiectum tam deleterium minerale, mitiori iudicio quidem dimittendæ videntur: ſed vix alio, quam cetera ex ære facta, loco, ratione ſecuri vſus, habenda exiſtimo.

§. XXI.

Supereſt nunc, vt conſideremus cupri vltimam eamque nobiliſſimam ſpeciem, auro tam ſimilem colore ſuo, vt vel oculatiſſimum fallere poſſit, ſi ſolo viſus iudicio res permitteretur. Nomen ſuum, quo *Prinzmetall* audit, debere Ruperto Palatino, Principi curioſiſſimo & in chemicis multum verſato, qui in Anglia primus parauit, accepimus. Fit autem, quando cupro ſeptima pars Zinki colliquatur: quod enim in plerisque libris etiam curcumam, immo crocum, in præparatione requiri & præſcribi videmus, id vel non ſerio adiectum, vel imperite transſcriptum exiſtimo. Tanta Zinki quantitas cupro permixta, quantum naturam eius vel meliorem vel deteriorem reddat, meretur ſane curioſius inquiri: adhuc enim parum de hoc minerali cognitum eſſe, omnes deprehendent, quibus auctores peruoluere placebit. Hic autem ad noua experimenta progredi nec tempus permiſit, nec operæ pretium viſum fuit, quum vix occurrerint inde parata vtenſilia, ad conſiderationem noſtram pertinentia, præter cochlearia, quæ in menſis rarius, frequentius ab aquæ calidæ potoribus adhibentur, vt ſaccharum potui ſuo iis admetiantur atque permiſceant: quorum quemquam male ab iis habuiſſe nondum compertum eſt.

§. XXII.

Vt itaque in ſummam contrahamus de cupreis, cuproque affinibus, nec non argenteis multo cupro permixtis, vaſis dicta, cauendum eſt ab eorum noxa, ſi adhibeantur non optime & immediate ante vſum inſtituendum deterſa: quæ in illis coquuntur non ſunt diutius in ipſis aſſeruanda, ſed ſtatim ceſſante ebullitione effundenda. Vinum, lac, quæcunque acida aut ad aceſcendum prona, itemque pinguia, ſalina, ſi diutius cum cupro verſata fuerint, æruginoſum quid attrahunt, quod palato, ventriculo & inteſtinis moleſtiam creat, vomitus ſæpe enormes & diarrhoeas funeſtas cum grauibus torminibus excitat, ſæpeque mortem inducit. Hæ vero noxæ vehementius affligunt teneros, præſertim infantes, quibus conuulſiuos motus, ſæpe ad mortem ſæuientes, concitant.

§. XXIII.

Scopus quidem noſter primarius eſt indicare has noxas, vt caueantur: ſed non omnino præter rem fuerit ſignificare etiam, quid

faciendum ſit, ſi quis obueniat ab æruginoſo tali cibo, potu vel medicamento læſus. Id vero faciemus verbis potiſſimum DIOSCORIDIS: a) *nullum communius auxilium dari poteſt, quam quod venenum per proximum locum foras pellit, priuſquam illud inualeſcat. Quamobrem illis ſine mora calidum oleum per ſe, ſeu ex aqua, vt ad vomitum cogantur, exhiberi conuenit. Quod ſi oleum natura loci negat, eius vice butyrum cum aqua calida, aut maluæ vel ſeminis lini vel tragi, vel fœni græci vel vrticæ vel alicæ decocto, poteſt adminiſtrari. Hæc enim non modo venenum vomitionibus exigent, facile laxando ſubuertendoque ventriculum, ſed & aluum ſubducent: ac ſimul etiam, qua pollent acrimoniam obtundendi hebetandique facultate, impedient, quo minus corpora exulcerentur.* Vomitum itaque procurari eiusmodi benignis admodum conſultum eſt, vt quantocyus eliciatur prauum adſumtum: ſed eundem medicina emetica temere prouocare neutiquam ſuaſerimus, quum hæc non ſolum anxietates & inflammationis periculum augere, ſpaſtica ventriculi conſtrictione aucta, poſſit: verum etiam hypercatharſeos metum non obſcure oſtendat. Nec inconſultum fuerit, ex eiusdem Dioſcoridis præſcripto, quando vomitus diligenter peractus fuit, infuſo enemate aluum ducere, vt inteſtinis inhærentes reliquiæ euocentur. Hoc rite peracto demulcentium, vt cremoris hordei vel auenæ, vſus ad aliquot dies continuari debet, quibus carminatiua meliora, tonumque ventriculi ac inteſtinorum inſtaurantia, prudenter interponantur, hisque tandem curationi finis imponatur.

a) *alexipharmac. præf.*

§. XXIIII.

Si iam febris acceſſit, (quod fieri ſupra §. XIII. indicatum eſt) a vomitoria medicina exhibenda magis etiam, quam recenti adhuc malo, deſiſtendum putamus, potius autem inſiſtendum methodo blande deterſoriæ, per humectantia & materialem illam ſepticam noxam, villis inteſtinorum inhærentem, abluentia, inuoluentia & ad inferius guttur deducentia: quibus alexipharmacorum prudens vſus, ad inflammationem diſcutiendam, interponi debet. Antiſpasmodica etiam, præſertim nitroſa, multis reſpectibus vtiliſſima hic erunt: quum nitrum non ſolum in inflammationibus tollendis in genere optimum ſit, verum etiam ſpecialiſſime in cardialgicis affectibus cum vomendi conatibus inſignem effectum edat: de quo *Excell.* D. D. STAHLII a) luculentum exſtat teſtimonium.

a) *Opuſc. chemico-medic. menſ. Februar. cap. III. pag. 582.*

§. XXV.

§. XXV.

Ante quam abrumpamus hunc de cupreorum noxiis effectibus ſermonem, mentio paucis iniicienda eſt eius admonitionis, quam in *Ephem. Acad. Nat. Cur.* a) ſuppeditat ſupra laudatus D. D. LANZONVS, quod medicus non debeat nimis pronus eſſe ad aſſerendum veneficium, ſi quando occurrant ægroti, qui, quum antea ſaniſſimi eſſent, mox a cibo vel potulento adſumto peſſime ſe habent, dirisque ſymptomatibus vexantur, ſed prius omnia ſollicite examinare & circumſpicere, an forte errore quodam œconomico factum ſit, vt is homo tam miſere torqueatur: ne vel iniuſta ſuſpicione inſontes oneret, vel ſibi præcipitati iudicii maculam contrahat.

a) *Decur. III. Ann. 7. obſ.* 102.

§. XXVI.

Ad ſtanni conſiderationem tandem progredimur, quod communi fere medicorum conſenſu mitiſſimum & humano generi minime inſenſum metallum exiſtimatur, quoniam nec foſſores eius, nec qui vlterius elaborant & excoquunt, eiusmodi morbis, qui alias metallurgiam exercentes corripere ſolent, tentantur, & plerumque in vicinia fodinarum ſtanni plantæ optimæ læte ſuccreſcunt, vt ex Boylæo annotat Fridericianæ Academiæ illuſtre decus FR. HOFFMANNVS. a) Quare tantum abeſt, vt quotidiano vſu tantopere frequentatum metallum, in ſuſpicionem nunc demum adducere velimus, vt potius ſalubritatem eius extra dubium reponamus, modo purum illud nec adulteratum ſit.

a) *Diſſert. de metallurg. morbif.* §. 26.

§. XXVII.

Enimuero ſtannum adulterari iam antiqua querela eſt GALENI, a) qui propterea medicamentorum aſſeruationi adhibere tale vetat. Notabilis eſt locus, quem integrum adſcribam: ἡ δὲ ἀπόθεσις ἐν ἀγγείῳ καττιτερινῷ ἢ ὑαλίνῳ, ἢ χρυσῷ γινέσθω. τὸ μὲν οὖν ὑάλινον καὶ τὸ χρυσοῦν οὐδεμίαν ἔχει τὴν δόλωσιν, τὸ δὲ καττιτέρινον μίξει μολύβδου δολοῦται. τὸ τοιοῦτον οὖν φεύγειν προσήκει, οὐ μόνον ἐπὶ ταύτης ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ἀντιδότων ἁπασῶν, ὥσπερ γε καὶ τὸ ἐξ ἀργύρου μὴ κεκαθαρμένου, τάχιστα γὰρ καὶ οὗτος ἰὸν ἐπιτρεφόμενον ἔχει. *Reponantur* (trochiſci de vipera) *in vaſe ſtanneo, vel vitreo vel aureo. Ex his vitreum & aureum nullam doloſam adulterationem admittit; bene autem ſtanneum, quod admixto plum-*

bo corrumpi ſolet. Tale autem vitandum eſt non ſolum in his adſeruandis, verum etiam in omnibus reliquis antidotorum generibus: quemadmodum etiam argentum, quod non puriſſimum eſt, quia celerrime æruginem depaſcentem contrahit. Sed noſtro ſæculo non ſolum ſtanni illa peruulgata per plumbi adiectionem corruptio quotidiana eſt; verum etiam vlterius progreſſi ſtannarii per ſe ſaluberrimum metallum, admixtis regulina portione antimonii, marcaſita, cupro, quin perniciofiſſimo arſenico, reddunt multis nominibus merito extimeſcendum & minime ſecurum.

a) *loco ſupra §. XII. citato.*

§. XXVIII.

Vt autem ordine ſingula perluſtremus, dicendum primo erit, quid de ſtanneo vaſe, cui plumbum mixtum eſt, ſtatuendum ſit, & quo iure Galenus tale proſcribere velit. Vti vero qui argentea vaſa fabricantur, non quouis loco eandem admiſcendi cupri regulam obſeruant: ſic ſtannarios accepi vbiuis fere locorum tenere aliquam proportionem, legibus vel ſtatutis ſingularum vrbium præſcriptam, plumbi admiſcendi, quam peculiari modulo, (*probam* vocant,) ſtanno liquefacto implendo, & deinde ſtatera explorando, ſatis accurate definire poſſunt. Mediocris fere modus eſt, vt ad octo libras ſtanni vna plumbi addatur. Atque hæc eſt mixtura, ex qua ordinarii canthari, lagenæ, orbes, lances & id genus reliqua ſuppellex, menſæ inſeruiens, conficiuntur. Hæc autem ſingula, ob plumbi mixturam, promiſcuo vſui minime ſecure adhiberi exiſtimo, quoniam experientia docet, quam facile quæuis acida, etiam ſatis leuia uiſa, vt vinum, et fructuum horæorum ſucci, plumbi particulas ſoluant, imbibant, & cum maximo talia adſumentis damno, ſecum ventriculo atque inteſtinis inferant. Nam ſi vinum, quod in cantharo vel lagena ſtannea aliquamdiu adſeruatum fuit, aliquot guttis lixivii ex auripigmento & calce viua recens parati infuſis explores, æque illud turbari & colore nigro atque atramentoſo infici videbis, vt in vinis lithargyrio mangoniſatis ante aliquot annos obſeruatum fuit. Si autem ſuccum aliquem fructuum calide infundas eiusmodi ſtanno, isque rubrum, vel ad rubedinem vergentem, colorem antea habuit, non longo tempore interiecto ad cæruleum inclinabit. Pertinet huc artificium haud profecto laudabile et innocens, quo matronæ ſibi parant acetum violarum cæruleum: dum flores lanci ſtanneæ imponunt ſuperfuſoque aceto, modico ſubiecto calore, digerunt, do-

nec

nec tinctura pulchre cærulea euadat. Longe conſultius eſt, adhibere illud purpureum, quod emergit, ſi acetum floribus in lagena vitrea affundatur.

§. XXVIIII.

Hanc autem mutationem, quam ſucci iſti vegetabiles in hiſce vaſis ſubeunt, haud parui æſtimabit, quisquis cogitat, quantas tragœdias paſſim vina illa lithargyrio corrupta Germaniæ noſtræ, finitimis que regionibus, intulerint, vt ſeueriſſima capitis pœna prohiberi coercerique tam infame artificium debuerit. Iam vero illud, quod acida ex plumbo ſoluunt, ab eo, quod ex lithargyrio imbibunt, reipſa parum differt: quamquam fuerunt, qui non exiguam intercedere differentiam fruſtra contenderent. Aeque enim ſaccharum, quod dicunt, ſaturni eſt quod ex vtroque imbibitur: huius autem quanta ſit malignitas, malumus celeberrimi & multa longaque experientia commendatiſſimi viri FRID. HOFFMANNI a) quam noſtris efferre verbis. *Ex omnibus*, inquit, *quæ inimica naturæ ſunt, nullum eſt, quod tam valide, & tam grauiter inteſtina eorumque tonum deſtruat, quam ſaturninum quoddam. Non eius quidem ſunt generis, vt, more aliorum venenorum, cito periniant, etiamſi in paulo maiori doſi præbeantur: tamen repetita ſi fuerit etiam minor doſis, lenta morte homines tollunt, adeo vt plures ſibi perſuaſum habeant, lentum illud venenum, quod Galli la poudre de ſucceſſion vocant, ſaturninæ eſſe proſapiæ.* Plura de ſaturninorum noxis exhibet *Exc.* D. D. ZELLERVS in diſſertatione eruditiſſima, qua docimaſiam, ſigna, cauſas & noxam vini lithargyrio mangoniſati expoſuit.

a) *medicin. ſyſtematic. tom. II. p.* 294.

§. XXX.

Ex dictis porro patet, ſtannea vaſa, quæ plumbi miſcelam habent, in genere omnibus acidis aſſeruandis inepta eſſe, quippe illa, quo longius vna fuerint, eo plus a plumbi particulis imbibitis acidum infringetur atque dulcedinem acquiret: eoque magis ad inducendum alui pertinaces adſtrictiones, tormina, colicas, appetitus deiectionem, vrinæ ſuppreſſionem, grauitatem ventriculi, lentasque & conſumtorias febres valebit: quæ quidem ſingula in hominibus teneriorıbus, iamque ad hæc mala diſpoſitis, præſertim quando ſæpius iisdem adſumtis noxiis adfliguntur, extimeſcenda ſunt.

§. XXXI.

Sed non ſola hæc eſt ſtanni corruptela, verum etiam longius progredi hominibus ſuaſit ſtudium argento ſimillimum reddendi hoc metallum, vel ſaltem duritiem ipſi maiorem ac ſonitum clariorem conciliandi. Hoc vt impetrent, regulum antimonii, bismuthum, cuprum, quin arſenicum cum ſtanno colliquant. De ſtanno Anglico memorabilis eſt locus in *C. H. E. D. de itinere ſuo Anglicano & Butauo relatione, nimirum debere illud bonitatem ac prærogatiuam ſuam regulo antimonii martiali, cupro ac biſmutho, quæ ad iuſtam proportionem mixta ſtannum optimum ingrediantur.* Sed iuſtam proportionem, quæ illa ſit, quærere noſtra intereſt, vt iudicare poſſimus, quanta noxa ſit metuenda. D. D. PETRAEVS a) ita de hoc argumento diſſerit: *optimus ſtannum argentificandi modus & proportio ſequens eſt: ſtanni Anglici libræ vni addatur reguli martialis vncia vna, cupri rubri drachma vna cum ſemiſſe, ad ſummum tres, funde: tali modo ex libra boni ſtanni Anglici, & quadrante plumbi, compoſitio metallica exſurgit nobile ſatis luſtrum habens.* Ibidem plures recenſet modos, quibus illum addimus, qui nobiſcum communicatus & ab experientia comprobatus eſt. Scilicet paratur mixtura ex orichalci foliati, vel alias puriſſimi, libris quinque, reguli antimonialis libris duabus, bismuthi tribus & ſtanni optimi duabus, hæcque probe fluens centenario ſtanni iam liquefacti infunditur. Ex ea vidimus vaſa, ſingulari tamen encheireſi fundenda & polienda, argenteis proxima euaſiſſe. Sed non omittendus eſt, in quo fere cardo negotii verſatur, regulum conficiendi modus, qui is eſt, vt reguli ſimplicis tribus libris cum debito pondere martis, ſalium ope, iam in fluorem iuſtum redactis, ſucceſſiue ingerantur arſenici albi duæ libræ. Hoc vero artificium, ſtannariis hinc & inde innotuiſſe, & ab iis exerceri, colligere liceat ex eo, quod D. D. SIEMENS b) *ſcribit, ſe recordari triſtis caſus, qui contigit Lipſiæ, dum in domo ſtannarii, qui arſenicum cum cupro admiſcebat, ab hauſtis eius venenatis fumis plures in eadem domo habitantes maligno morbo affecti & mortui fuerunt.*

a) *Diſputat. inaug. de natur. metallorum nonnullisque eorum artefactis* §. 30.

b) *in diſſert. inaugural. de metallurgia morbif. ſub præſidio Exc.* D. D. HOFFMANNI *habita.*

§. XXXII.

Noſtrum iam non eſt quærere quam prudenter hæc ſingula adhibean-

hibeantur ad ſcopum artificum: ſed potius quam ſalubria, immo vero quam innocentia, ſint vaſa ſic parata ad vſum ſiue œconomicum, vt ciborum potuumque genera in iis vel præparentur vel aſſeruentur; ſiue pharmaceuticum, vt certis medicamentis adhibeantur continendis. Si cupri, nauſeam & vomitum creantis, quando in æruginem conuertitur, in tam exigua proportione rationem habere nolumus, certe tamen reguli antimonialis, vehementis emetici, & ſine ſubſtantiæ ſuæ imminutione notabili, per ſola effluvia tenuiſſima, liquidis, cum quibus diutius verſatum fuit, vim ventriculi ſubverſoriam impertientis præſentia; & arſenici, quod fluido, cum quo verſatum eſt, hominem enecandi vires tribuit; & biſmuthi, pariter in ſubſtantia ſua, ac quando ſolutum eſt, vomitorii, coniunctio: trium, inquam, naturæ noſtræ tam aduerſorum ſocietas, an fiduciam potius ſalutis, quam formidinem inſidioſæ malignitatis, iniicere nobis debeat, id vero cogitandum perpendendumque committo. Nec tam exiguæ ſunt portiones ſtanno eiusmodi, ad nitorem ſummum elaborato, additæ: nimirum ad decem metalli puri partes, vna pars mixturæ in perniciem humanam conſpirantium mineralium, adiicitur, ad libram vnam, quod pondus fere habet orbis ſtanneus, quo in menſis vtimur, vncia vna cum ſemiſſe ſeu tres lothones accedunt. Mihi certe perſuadeo optime illos ſibi conſulere, qui tam nitidam ſuppellectilem quibusuis potius aliis domeſticis vſibus, quam culinæ ac menſæ adhibent.

§. XXXIII.

Non ſine cauſſa admoneo, quum ſupra de ſtanno Anglico ſermonem inſtituerimus, exploratum nobis non eſſe, quod hæc natio ſuo ſtanno arſenicum addat: ſed ſermonem mihi tantum eſſe de illis, qui apud nos paſſim conati ſunt ſtannum emendare. Horum aliquos etiam, præter additamenta expoſita, plumbum adiicere, ex adducto *Petræi* loco licet colligere: diſerte enim commemorat, quid ſtanno nobilitando conducat, & deinde plumbi adiiciendi meminit: ex quo certe longe deterius metallum emergit, cibisque adſeruandis minus idoneum, quippe & a plumbo & ab adiectis reliquis mineralibus noxæ extimeſcendæ ſunt. Quin immo videtur aliquos ſtannarios dicta additamenta nunc non amplius adhibere, vt ſtannum nobilius reddant,

quam potius vt maiorem, quam bonæ leges permittunt, plumbi quantitatem abſorbeat, neque tamen fraus illa in oculos facile incurrat.

§. XXXIIII.

Facile præuideo, non paucos fore, qui meticuloſius hæc ſcripta exiſtiment. Erunt, qui ſibi perſuadeant, arſenicum, ſi vel maxime admixtum fuerit, parum lædere poſſe, quoniam potiſſima eius pars igne fuſorio expellitur & in auras auolat. His vero reſpondemus, quod experientia duo omnino hic ſuppeditet ſatis firma, primo arſenicum nulli metallo firmius adhærere quam ſtanno; deinde ſtannum, ſi perfecte fluit, non diu tolerare ignem, ſed ſtatim effundendum eſſe in modulos. Ne dicam de cupro per arſenicum dealbato, a) quod omnino probat, non adeo facile arſenicum auolare, quin ſe ſingulis metalli particulis adiungere, ipſisque ſatis firmo nexu cohærere poſſit.

a) Vir quidam doctus *Act. phyſico-med. A. N. C. Vol. II. pag. 26.* metum noſtrum de cupro per arſenicum dealbato, & ad paranda vtenſilia menſæ vſibus deſtinata adhibito minuere voluit. Non negat, cuprea vaſa eſſe extimeſcenda: *quatenus vero*, inquit, *de adiecto arſenico ſermo eſt, huius vim venenoſam plenarie cicuratam eſſe crediderim.* Rationem reddit, quod arſenicum per fixationem & ignis torturam reddatur innoxium, vt in vlceribus cacoethicis & cancroſis cum fructu adhibeatur. Enimuero neſcio, an omnes, qui venerem dealbant, fixato arſenico vtantur: certe inuenio deſcriptiones, quæ id non requirunt. Maneret itaque iuſta ſuſpicionis cauſa de cupro albo, ad quod non fixatum fuiſſet adhibitum. Deinde non conſtat mihi, an illud fixatum arſenicum ad vſus internos ſatis tutum ſit: de externo autem vſu diſpiciendum eſt, quo fine & fructu adhibeatur, & annon ſeptico & cathæretico agat. Certe magnes arſenicalis, qui & lapis Pyrmiſon vocatur, & ex paribus ponderibus arſenici, ſulphuris & antimonii crudi, in maſſam vitro analogam colliquatis, paratur, non alium edit quam ſepticum & cathæreticum effectum, quamquam eius cauſtica natura, adiuncto ſatis multo ſulphure, obtuſa & quaſi inuaginata eſt. In medio igitur relinquo cupri albi illam defenſionem: quam cum ſupra ad §. XX.

XX. ponere & commemorare debuiſſem, & commodius potuiſſem quia ibi eius oblitus ſum, hoc loco addacendam putaui.

§. XXXV.

Etiam de regulo antimonii erunt, qui dubitent, vtrum illius vncia vnica, libræ ſtanni permixta, multum nocere, nauſeam creare, ventriculum ſubuertere poſſit. Ego vero quum non videam rationem, cur regulus ſtanno admixtus non æque dimittat & fluidis impertiatur quædam effluuia, quam ſolus in cyathos formatus: non poſſum a me omnino impetrare, vt effluuia illa, qantumuis viribus ſæpe exigua & ad vomitum proritandum non ſufficientia, pro inſontibus habeam. Certe qui poculum emeticum perpetuum parare docuerunt, iubent nos ea ex reguli antimonialis quinque vnciis, ſtanni optimi libræ vni colliquatis, conficere: ex quo elucet, ſtannum antimonii effluuia minime detinere. Et ſane frequentius noxia effectu ſuo ſe proditura exiſtimo, niſi edulia, in vaſis eiusmodi ſtanneis appoſita, ipſa ſua pingui & mucilaginoſa benigna indole obtunderent atque vincerent metallicum contagium: & niſi bono caſu fieret, vt lancibus patinisque ſtanneis appoſita pleraque, quia calida ea expetuntur, citius conſumantur, quam multum lædi corrumpique poſſint. Neque tamen adeo rarum eſt, aliquos a prandio vel cœna ſurgere, qui mox male habent, ventriculi doloribus, cruciatuque inteſtinorum corripiuntur, vbi cauſam forte nimis ſæpe e longinquo repetimus, quum proximam non ſuſpicemur. Quare nemo nobis vitio vertet, ſi hæc diligentiori obſeruationi commendanda operæ duximus pretium.

§. XXXVI.

Hoc quoque non inutiliter puto adiiciendum, ipſos cyathos vomitorios, ex regulo antimonii fuſos, vim vomitoriam non æque facile impertiri omnibus fluidis. Aquam certe aut ſpiritum vini, parum impraegnabunt, ſaltem vix ſufficienter armabunt: ſed longe magis vinum aliquod acidulum, vt ſunt Germanica, quia in hoc eſt optima mixtura ſpirituoſi cum blando ſale acido tartareo: qualis quidem particulis ſulphureo-ſalinis, quibus antimonialia operationem ſuam efficiunt, eliciendis & continendis eſt commodiſſima. Ex eo autem illud puto conſequi, vinum æque male committi lagenis ſtan-

neis cum antimonio paratis, quam illis, quibus plumbi larga acceſſit copia: peius etiam illis, in quibus præter plumbum reliqua ſuperius dicta ſimul coierunt.

§. XXXVII.

Nec omittendam heic cenſeo vim magnam conſuetudinis, qua efficitur, vt longo vſu ſenſim adſueſcamus illis perferendis, quæ nos in principio valde læſerunt: aliumque inſuetum grauiſſime afficiunt. Tot obſeruationibus conſtat, quantam vim opii quotidie aliqui impune deuorent, qui, ab exigua portione orſi, familiarem ſibi hunc, ceteris mortalibus tam circumſpecte exhibendum, ſuccum papaueris reddiderunt. Et quantopere nicotianæ fumus hominem, qui primo ad vſum eius accedit, torqueat & affligat, pauci ignorabunt: quum tamen idem, vbi longius ipſo vſus fueris, non ſolum innoxius ſed valde iucundus videatur. Quo magis puto æquum & neceſſarium eſſe, vel in paruulorum & infantum gratiam, medicos accurate ſerioque cogitare, an ſatis tutum ſit, cibum ac potum ipſis, vel præparare in eiusmodi ſtanneis vaſis, vel in aliis præparatum his adſeruare inditum.

§. XXXVIII.

Et quoniam in hoc argumentum incidimus, dicam, quod forte prima fronte multis videbitur nimis longe petitum, mihi autem, poſt repetitam ſæpius meditationem, magis magisque probabile videtur, Angliæ olim endemium, nunc etiam alibi non adeo inauditum morbum rachitidem, quo infantes corripiuntur, forte non iniuria tribui noxiorum ſtanni effluuiorum, quæ in edulia ipſorum transferuntur, hincque ſenſim in corpore accumulantur, lentæ & veneficæ malignitati. Mihi quidem non obtigit ſufficiens occaſio ad obſeruationes in hac re ſtabilienda neceſſarias colligendas: verum vnius memini familiæ, in qua vnam prolem hic morbus abſtulit, alteram, forte nunc etiam morte ablatam, male & miſerandum in modum confecit: vbi mihi primam de ſtanno ſuſpicandi anſam fuiſſe oblatam fateor, quum viderem, haud vulgare illud, ſed artificioſius præparatum in tota illa domo adhiberi.

§. XXXVIIII.

§. XXXVIIII.

Suſpicionem attuli, non ætiologiam ſatis claram: cui vel repudiandæ vel clariſſime confirmandæ acutiſſima & curioſiſſima Britannorum ingenia, quibus hoc morbo afflictorum copia maior ob oculos ſemper verſatur, abunde ſufficient: quare illis merito examen eius rei relinquimus atque commendamus. Forte non difficillimum fuerit fundamentum rei attingere, ſi, ratione habita eius temporis, quo primum in Anglia hic morbus auditus fuit, ſedulo inquiratur, quo tempore cœptum ſit ſtannum adiecto antimonio & biſmutho temperare: porroque conſideretur, an morbus hic etiam illos affligat, quorum domibus ſtanni vſus negatus eſt.

§. XXXX.

Multa hic conſulto omittuntur, quæ vlteriori examini commodo tempore ſubiicientur. Vt vero circa ſtanni vſum obſeruanda in ſummam contrahamus, putamus omnino optimum eſſe illud, quod eſt ſinceriſſimum, nulloque additamento adulteratum. Id vero, quod plumbo iunctum eſt, vitari debere, quando acida in illis aſſeruata offeruntur, quippe illa ſaturnino lentoque veneno hinc imbuuntur: quod affuſo auripigmenti lixiuio recenti manifeſtatur. Quibus præter plumbum etiam antimonialia, arſenicum, cuprum, biſmuthum adiecta ſunt, ea vaſa ſunt longe deteriora, neque ſatis tuto adhiberi poſſunt, ſi quid intra corpus ſumendum, ſiue cibus ſit vel potus, ſiue medicamentum, ſit præparandum vel adſeruandum. Præcipue autem infantum ratio habenda eſt, quorum tenerrima corpuſcula a leuiſſimo veneno, quod adultus vix ſentiat, vehementer lædi poſſe in propatulo eſt. Denique inueſtigandum eſt vlterius & accurate porro obſeruandum, quid a ſtanni quocunque modo compoſiti vſu vel ſperandum vel metuendum ſit: ſeorſim autem quam ſit vero conſentanea illa ſtanni fuſorum perſuaſio, cuius ſæpe laudatus D. D. PETRAEUS meminit, ſcilicet ſi vaſa ſtannea in fundo puro biſmutho obducantur, fore, vt quicquid in illis aſſeruatur, ſaporem & colorem per longum tempus ſeruet intaminatum.

§. XXXXI.

Utpereſſet, vt hic etiam diceremus, quid factu opus videatur, ſi cui a tali vaſe communicatæ noxæ fuerint: ſed quum illæ rarius ante obſeruentur, quam inueteratum malum ſeſe corruptorum viſcerum triſtibus ſignis manifeſtet: hæ que curationes, vt in ſe dubii euentus, ſic longi ſollicitique laboris opus ſint: ſufficiat hic nobis indicaſſe cauendi rationes.

§. XXXXII.

Ferrea etiam ſupellex in culina & re pharmaceutica crebro adhibetur. Quam promte metallum hoc ſoluatur, facillime obſeruari poteſt, ſi quis mite pomum, etiam maturitatem ſummam conſequutum, cultro diſcindat, nec cito ſuccum cultro adhærentem detergat: vnde pronum eſt colligere, in medicamentorum elaboratione, non minus quam in ciborum præparatione, ſubinde fieri, vt acida aliquid a vaſe ferreo imbibant. Quum vero illud vix tanta copia fiat, vt nimiam conſtrictionem ab hoc vitriolo martis metuere debeamus: neque tantillum hoc adeo extimeſcendum in cibis putamus, quum martialia aperiendi roborandique cauſa toto die adhibeamus: pharmacopœum autem oportet prouidere, ne quid præter medici intentionem atque exſpectationem ſuis præparationibus admiſceatur.

§. XXXXIII.

De plumbo dicenda fere exhauſimus, quum ſermonem de ſtanno haberemus. Et ſane vix hodie apud noſtros ſuccurrit vſus ſolius plumbi ad inſtrumenta vel pharmaceutica vel culinaria, vt inde metui aliquid debere videatur. Fuere quidem olim, qui in aquarum deſtillatione, euitaturi alembicorum cupreorum noxas, plumbeos ſubſtituerunt: ſed illos ſcyllam euitaturos in charybdin incidiſſe, iam pridem grauiter monitum eſt a doctiſſimis viris, præcipue PET. AND. MATTHIOLO, a) qui id a ratione & experientia ductis argumentis diſſuadet. Non poſſumus tamen, quin hoc loco commemoremus, iam veteribus plumbi malignitatem fuiſſe cognitam. Oſtendit id HIERONY-

ERONYMUS MERCURIALIS, b) vir doctiſſimus, qui aquarum per plumbeas fiſtulas ductarum prauitatem notabilibus teſtimoniis Vitruuii & Galeni comprobat. Quin adeo COLUMELLA, c) pro gallinarum potu & cibo vaſorum fabricandorum rationes traditurus, lignea aut fictilia plumbeis prætulit, quod vtiliora ea eſſe compertum ſit.

a) *de ratione deſtillandi aquas ex plantis.*

b) *Variar. lection. lib. II. cap. 9.*

c) *de re ruſtic. lib. VIII. cap. 3.*

§. XXXXIIII.

Nec inutile aut præter medici curam fuerit, inquirere in vitra, præſertim colorata, vt & fictilia vaſa elegantioribus incruſtationibus ſeſe commendantia: quippe ſingula hæc metallicorum & mineralium additione perficiuntur. Ac horum quidem aliqua, vt calces metallorum, ſatis fixa videntur, vt ab his nihil adeo magnopere videatur extimeſcendum: in antimonium autem, quod vitris flauis adhibetur, vt & quibusdam rubris, vtrum ſub hoc vitreo ſchemate omnino inſons æſtimandum ſit, quum alias vitri antimonialis per ſe parati magna vis vomitoria ſatis nota ſit, curioſius meretur inquiri.

§. XXXXV.

Et hæc quidem de hoc argumento, medicorum conſideratione digniſſimo, pro temporis ratione dicta ſufficiant. Poterant plura adferri & nonnulla experimentis ſiue illuſtrari ſiue comprobari: ſed nunc quidem primas lineas ducere, & de iis doctorum iudicia exſpectare, nec limites ſpeciminis academici egredi conſtitutum erat. Pedem itaque hic figimus, dicendique facimus finem.

)o(